P. FRANCISCI ACERBI

E SOCIETATE IESV

POLYPODIVM APOLLINEVM.

NEAPOLI,

Ex Typographia Io: Francisci Pacii. 1674.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISS. DOMINO,
D. PETRO ALOYSIO
CARAFÆ,
EPISCOPO TRICARICENSI

FRANCISCVS ACERBVS F. D.

NON diu, Vir Illuſtr. fuit mihi cogitandum, cuius patrocinio ſecundum hunc mei fœtum ingenij ſubmitterem. ex quo illum mente concepi, non modò tibi ſponte deſtinaueram; ſed merito officio, & iuſto ſeruitutis titulo, vt tuum tibi reddendum decreueram. tam arctè enim beneficijs tuis me tibi deuinxeras, benignoque complexu obligaueras, vt ſimul me totum in tuam ſeruitutem iure ac merito vindicares. vnum tamen eſt, quod doleam, nempe quòd minima hæc officia maximis tuis virtutibus, meritiſque non æquâ lance reſpondeant. enim verò quid hoc tam vile donarium, quodque magis eſt, debitum, ad tam nobilem largitorem? Te tamen ipſe incuſa, quòd in me tam ineptum, tam

immeritum tot beneficia, largâ manu profuderis. quanquam nec incusare debes: cùm mihi non animus, & voluntas, sed vires desint ad tanta beneficia compensanda. nec propterea officia tua æstimatione carebunt: quippe quæ maxima, pares gratias expectare non possint, & mihi minimo adimant retribuendi facultatem. Vt ergo exiguus hic meorum carminum libellus, qui nec styli sublimitate, nec venustate sermonis, nec linguæ candore, nec insperсis subinde luminibus, nec vibratis identidem aculeis, nec vellicantibus ex interuallo sensiculis delectare poterat, aliquam apud lectores gratiam sibi conciliaret, ad præsidium tui præclarissimi nominis, & nobile patrocinium opportunè confugit: & quidem maturo consilio, vt sibi, acerbo fœtui, præcaueret. qui enim præ foribus, atque in ipso libri vestibulo illum tibi dicatum legent, reueriti tam religiosi Præsulis tutelare præsidium, meis carminibus honorem aliquem, quamuis indebitum, deferent, debito tibi vrbanitatis officio. tua in omnes vulgata humanitas amorem illis, ac beneuolentiam conciliabit. mitigabit benignitas tua acre seuerumque iudicium, frænabitque tanti Viri tutela, & autoritas, arrogantium linguarum auda-

ciam,

ciam, & licentiosam carpendi libidinem; Quanquam non aliæ mihi desunt causæ, cur hæc mea tibi carmina dicata velim; nempe familiæ tuæ præclarum decus, ac splendor, quo citra fastum, & sine vllo iactantiæ tumore præfulges: ex eâ enim stirpe nasceris, ob quam nulli inuidere debeas, inuidendus à multis: ex eo nobilitatis fonte originem ducis, qui argento purior defluxit ad posteros: ex eâ generis vetustate, vt sæcula ipsa laborent, conuersa ad originem, vt caput inueniant: tam longè natalium præclarissimorum antiquitate recedit. Quîd illustrium maiorum imagines? quîd auitos familiæ titulos? quîd ducum inclita nomina? quîd fortium gesta virorum? quîd prœliarem gentis tuæ gloriam? quîd in Martis puluere triumphorum nunquam delenda vestigia? quîd doctrinæ, ac scientiarum decora? quîd purpurarum familiare veluti ornamentum, & continuatum in stirpe splendorem? quîd sacras in hac vrbe principe infulas? quîd adeptum sacri Romani culmen Imperij magnificè, sed verè commemorem? Hæc tamen omnia, quanquam maxima, veluti extra te sunt, & à tuis in te deriuata laudantur. Habes enim verò, quæ tibi sunt propria, animi tui ornamenta præclara, dotésq;

virtutum, non hæreditariâ propagatione transfusa. Adolescentiam tuam verecundus pudor obtinuit; indoles præclarissima decorauit. mores ita compositi, ac graues, vt adolescens senibus exemplo præire potueris. pietas non quæsita studio, sed veluti innata videbatur. nullum supercilium, ac nullus in tantæ nobilitatis fastigio elati tumoris fastus. Enimuerò non erant hæc tam præclaræ virtutis semina cuicunque solo credenda. paternâ in domo, atque in amplissimo gentis tuæ sinu delicijs emollita marcuissent: propterea fœcundum in solum sanctissimi ac religiosissimi Ordinis illa maturè, opportuneque traducis: hîc flos ille tuæ adolescentiæ in vberrimos virtutum fructus confestim erupit: hîc inter domestica sanctitatis, & solidæ pietatis exempla excultus, ac subactus animus, integritatis, atque innocentiæ messem protulit singularem. nec interea ingenium, quod tibi erat præferuidum, atque acre, iners elanguit. ad optimarum artium cognitionem, atque adeptionem enixum, breui palmarem laudem obtinuit. Eloquentiæ studium volucri decursione percurrit: Philosophię recessus solers, ac viuidum feliciter explorauit: Theologiæ arcana vestigauit, nec sine laudis adoreâ. Sed iam diu tanta

virtus

virtus latêre non poterat, nec tot percelebres doctrinæ, ac pietatis dotes sub vmbrâ tegi debuerant. Ad sacras Tricarici infulas, tanquam ad Solem euocaris; patruo tuo iam inter Purpuratos adscito, in idem Episcopi munus successurus: vt putem diuino id factum consilio. quis enim tam præclaro viro, quem nulla vnquam obliuio delebit; in quem confertim cunctarum ornamenta virtutum; singulare pietatis, ac religionis studium; rerum agendarum mens sagax, & solers ad cuncta prudentia; consuetudo facilis, & morum incredibilis suauitas; vitæ candor illibatus, nec vllâ vnquam labeculâ aspersus; munificentia, & liberalitas suis digna natalibus; sacrarum cognitio literarum nec trita, nec vulgaris, & denique profunda Theologiæ scientia, torrẽtis in morem, se plenè profuderant, poterat tanto in munere dignè succedere, quàm tu, Vir inclite, qui idem sortitus nomen, eadem refers ornamenta virtutum, pietatem eandem, idem studium disciplinæ, eandem lucrandarum animarum cupiditatem, eandem morum comitatem, munificentiam, ac liberalitatem eandem? vt, si purpuram demas, quam tua tibi merita, & virtus non lubricâ fide promittunt, & mea vota precari non desinunt; non duos, sed vnum

Petrum Aloysium Carafam in Tricarici regimine dices perdurare. Parco reliquis, ne contristem modestiam tuam, eamque verecundo rubore pefundam. Vale. Cal. Aprilis M. DC. LXVII.

Ad

Ad Lectorem.

HABES, erudite Lector, secundum meorum carminum libellum, qui sanè iucunditate materia, ac varietate argumenti posset tibi non displicere, nisi obstaret scribentis humilitas, carminis ruditas, & impolitæ dictionis asperitas. huius tamen defectus non mihi difficile est aliquam excusationem afferre, & mitius mihi Acerbo à te impetrare iudicium, seueramque minus expectare censuram. meminisse enim decet, hos à me versus exaratos corpore morbis afflicto, malè subacto curis animo, ingrauescente ætate, & fato iam proximâ. nec ego de olorum genere, vt instante funere dulciùs canerem, & modulis iucundioribus, ac molliore aures concentu mulcerem. pangendis Iuuentus magis est apta carminibus, & Musæ, vtpote iuniores, iunioribus magis fauent, eorumque votis obsequuntur ex genio. hos ergo tibi ex meo prædiolo do fructus ingenij. an mites sint, & permaturi, arbor ex quâ decerpti, opportunè monebit. fortè hæc mihi scribenti in solatij partem Acerbitas erit, quòd, inductâ per illam in Criticorum dentes stupiditate, minus ad mordendum apti, ge-

nui-

nuinum clementiùs insigent. Habes in duos libros distributa carmina. Exametris, vtpote dignioribus, prior locus datus: subsequi iussi sunt Elegi, pedibus mollioribus, & nutantibus subinde vestigijs. Benigne Lector, ne expectes meis ex hisce carminibus egregium aliquid, aut sublime, nec venustum, aut floridum: non is est in præsens, vt modò monui, mei viger ingenij. viuidus ille, & præferuidus iuuentutis calor omnino refrixit. si quis superest igniculus, gelido veluti sub cinere semisopitus, ac deses iacet. ver olim illud pubescens, & floridum ætatis robur emarcuit: soli supersunt aculei, non quibus versus armem, atque instruam ad voluptuosè vellicandas legentium aures, sed quibus me assiduis punctiunculis morbi solicitent. Accessit & ipsa scribendi difficultas. maior, ac præcipua carminũ pars in re philosophicâ, & identidẽ medicâ operosè reuoluitur. quã difficile, atque arduũ sit, hæc metricis pedibus illigare, prouoco ad caput meum laboriosâ molestiâ, ac tædio incredibili defatigatum. soluta oratio, & liberior scriptionis modus in hæc ægrè enititur, vixque latino sermone consequitur, explicatque; quid faciat vincta pedibus, & metricâ compede illigata? sed video hæc à me incassum obtendi, excusatione nihil profuturâ. infelix enimuerò sæculum nacti sumus. obtrectatorum pessima natio, & maledicorum execranda progenies

nies

nies in dies crescit uberior, & nouas Cynicorum colonias facit, multiplicatque. vix miserrimus liber è typis euoluitur, ac è prælo venalis exponitur, cùm confestim, inducta causâ, ad scombros inuoluendos damnatur, ad teredinum cibum destinatur, puluereque sordido consumendus, beneficij loco, reponitur. cùm verò homines isti, facti ex Mercurio malè quadrato, ad illum legendum inclinauerint literariam maiestatem, & supercilij grande fastigium putidâ grauitate demiserint; cum contemptu quodam, ac nauseâ, perfunctoriâ lectione percurrunt: mox ad singula caput excutientes, nasum cum irrisione suspendunt, labra iocosè diducunt, atque os, despicientium in morem, oblique contorquent. Hos enimuero asperos, austerosque Xenocrates, qui Gratijs nunquam litârunt, nec Musis sacra fecerunt, quis non diris omnibus meritò iure deuoueat, atque ex hominum albo penitus eradat, expungatque? Detestanda muscarum examina, non stylo confodienda, sed flammis deuoranda rogalibus. si quid syncerum, ac sanum inuenerint, incuriosè prætereunt; si quid vlcerosum, ac putridum, in illud auidè conuolant, in illud sæpe redeunt: hîc habent suas ingenia cupedias; hîc opiparè prandent, cœnantque. legunt eo solùm consilio, vt carpant; vt in vnius, vel alterius verbi calumniâ ansam struant; vt miserrimum poëtam

tam

nuinum clementiùs insigent. Habes in duos libros distributa carmina. Exametris, vtpote dignioribus, prior locus datus: subsequi iussi sunt Elegi, pedibus mollioribus, & nutantibus subinde vestigijs. Benigne Lector, ne expectes meis ex hisce carminibus egregium aliquid, aut sublime, nec venustum, aut floridum: non is est in præsens, vt modò monui, mei vigor ingenij. viuidus ille, & præferuidus iuuentutis calor omnino refrixit. si quis superest igniculus, gelido veluti sub cinere semisopitus, ac deses iacet. ver olim illud pubescens, & floridum ætatis robur emarcuit: soli supersunt aculei, non quibus versus armem, atque instruam ad voluptuosè vellicandas legentium aures, sed quibus me assiduis punctiunculis morbi solicitent. Accessit & ipsa scribendi difficultas. maior, ac præcipua carminũ pars in re philosophicâ, & identidẽ medicâ operosè reuoluitur. quã difficile, atque arduũ sit, hæc metricis pedibus illigare, prouoco ad caput meum laboriosâ molestiâ, ac tædio incredibili defatigatum. soluta oratio, & liberior scriptionis modus in hæc ægrè enititur, vixque latino sermone consequitur, explicatque; quid faciat vincta pedibus, & metricâ compede illigata? sed video hæc à me incassum obtendi, excusatione nihil profuturâ. infelix enimuerò sæculum nacti sumus. obtrectatorum pessima natio, & maledicorum execranda progenies

nies in dies crescit uberior, & nouas Cynicorum colonias facit, multiplicatque. vix miserrimus liber è typis euoluitur, ac è prælo venalis exponitur, cùm confestim, indictâ causâ, ad scombros inuoluendus damnatur, ad teredinum cibum destinatur, puluereque sordido consumendus, beneficij loco, reponitur. cùm verò homines isti, facti ex Mercurio malè quadrato, ad illum legendum inclinauerint literariam maiestatem, & supercilij grande fastigium putidâ grauitate demiserint; cum contemptu quodam, ac nauseâ, perfunctoriâ lectione percurrunt: mox ad singula caput excutientes, nasum cum irrisione suspendunt, labra iocosè diducunt, atque os, despicientium in morem, obliquè contorquent. Hos enimuero asperos, austerosque Xenocrates, qui Gratijs nunquam litârunt, nec Musis sacra fecerunt, quis non diris omnibus merito iure deuoueat, atque ex hominum albo penitus eradat, expungatque? Detestanda muscarum examina, non stylo confodienda, sed flammis deuoranda rogalibus. si quid syncerum, ac sanum inuenerint, incuriosè prætereunt; si quid vlcerosum, ac putridum, in illud auidè conuolant, in illud sæpe redeunt: hîc habent suas ingenia cupedias; hîc opiparè prandent, cœnantque. legunt eo solùm consilio, vt carpant; vt in vnius, vel alterius verbi calumniâ ansam struant; vt miserrimum poë-

tam

tam in inuidiam malignè vocent; vt illum contumeliosè traducant; vt inflatis buccis vbique malignis garriant, & probrosâ buccinâ personent. Ranarum genus, ac suboles, *nil habent præter voces, inconditosque clamores, quibus alienis laudibus vbique insultent, & famæ detrahant. Cœnosi è lacu Aristarchi, anseresque palustres. sanè nunquam videbis modestos viros, ac verecundos, morum grauitate conspicuos, ciuili vrbanitate spectabiles, humanioribus literis perpolitos, in hac probra inclementer erumpere, & alienos labores Cynico dente mordere. si quid laude dignum inuenerint, modestè laudant; si quid illis displiceat, indulgenter excusant: experimento enim didicere, quid inter legendum, & scribendum intersit. arrogantiùs imperitorum natio carpit, ideoque arrogantiùs, quòd magis imperita. Momi isti, nocte geniti, cùm nil ipsi luce dignum scribant; quæ scribunt alij, obscurare conantur: ex tenebris lucem, ex maledictis in alios aucupantes laudum præconia. Meminisse oportet, non quodcunque scribitur, futurum omni ex parte syncerum, purum, & sine vllâ fæcis admistione. aurum licèt absolutum optimumque, suam scoriam habet: lux ipsa, quâ nihil nitidius, suis est interlita maculis: nec Sol sine suis næuis vitreo tubo conspiciendus apparet. Est summa dementia, in edito libello, cuncta optima, cuncta perpolita*

polita requirere, & quod stylus non placeat nisi ad miraculum eniteat; versus non probentur, nisi sint veluti torno formati; dictio spernatur, nisi sit sublimis, & Cœlo proxima. Quisquis eris magnificâ hac cogitatione plenus, meum hunc libellum sinas situ sordescere, nec illum tuo obtutu dignare. nihil ille habet sublime, quod magnificis istis tuis votis pro dignitate respondeat, nec cothurno tuo se se conferre præsumat. tu solus ocreis tuis Mercurij pennas assuis, atq; Olympum affectas: nos inutili conatu terram lingere nitimur. Vt autem planè perspicias, quid ego de meo libello sentiam, & quod illi fatum promittam, subiecto ad amicum carmine palàm faciam.

Quæ maneat fortuna meos, Matine, libellos,
Et mea quæ maneant carmina, fata dabo.
Vt lucem aspicient, meritis damnanda tenebris,
Nullius illa oculis conspicienda putes.
Semisepulta situ, blattâ rodenda voraci,
Necnon & tineis pabula grata fore.
Cunctaque puluereus fœdabit carmina nimbus,
Ægriùs vt scriptas sit reperire notas.
Edita sint quamuis, & prælo cusa recenti;
Fœda Sibyllinum nata referre situm.
Accedet nullus quæsiti carminis emptor:
Vertet in auctorem Bibliopola minas.
Inquiet: ô fatuam scribentis carmina, mentem!
Nullum illi nomen, lucra nec vlla mihi.

Hæc

Hæc ego corripiam vana deliria mentis,
Parciùs vt fatuum scribere carmen amet.
Vendita pistorum cumulabunt scripta tabernas,
Et sale quòd careant, ad piper apta dabo.
Inuoluent oleas meliùs, baccasque Venafri,
Illa olei quoniam nil habuisse rear.

IGNATIVS MONCADA

Societatis IESV Præpositus Prouincialis Prou. Neapol.

CVm P. Francisci Acerbi è nostrâ Societate librum, cui titulus: *Polypodiũ Apollineum* tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucẽ edi posse probauerint: potestate nobis à *P.* N. Generali Ioanne Paulo Oliuâ factâ, facultatem concedimus vt Typis mãdetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. cuius rei gratiâ has literas manu nostrâ subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Capuæ Die 28. Aprilis 1668.

Ignatius Moncada.

EMI

EMINENTISSIME PRINCEPS.

OPus, cui titulus *Polypodium Apollineũ* ab Ad. R. P. Francisco Acerbo Soc. Iesu ingeniosissimè elaboratum, maximâ animi voluptate perlegi: est enim ad animum subleuandum apprimè idoneum. quod autem ad morum integritatem, Fideique Catholicæ veritatem attinet, inoffenso pede percurrit. dignissimum proinde existimo, quod exoptatam diù lucẽ videat. Neap. in Collegio Capycio, 15. Octobris 1673.

Eminentiæ Tuæ Reuerendiss.

Humillimus, & addictissimus Seruus

D. Mutius Maria Caracciolus Congr. Som.

IN Congregatione habitâ coram Eminẽtissimo Dño Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neap. sub 11. Ianuarij 1674. fuit dictum, quod stante relatione supradicti Reuisoris Imprimatur.

Hieronymus Episc. Isclanus Vicar. Gener.

Franciscus Guarini Soc. Iesu, Theol. Eminentissimi.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

INſpexi, Tuo iuſſu, Reuer. P. Franciſci Acerbi Librum, cui titulus inſcribitur: *Polypodium Apollineum*. Inſpexi & Apollinem duplici fulgore emicantẽ, quà ſcilicet Medicinæ Auctorem, & quà Muſarũ Antiſtitẽ. Quippe Carmina cæleſtem reſonant pietatem, quâ tartareis animorum morbis efficaciter medentur: Carminum ſtylus cæleſtẽ reſonat harmoniam, quam audiens Sebethus immutatur in Amphryſum. In Opere tam egregio perlegendo nullam offendi vmbram, quâ Regiæ Iuriſdictionis iubar offenderetur. Propterea dignum cenſeo, quòd in lucem edatur, ne alioqui monſtroſè contingat, vel Apollinem ſuâ luce, vel Orbem eſſe ſuo Sole orbum. Neap. octauo Idus Aprilis 1673.

Excellentiæ Tuæ

Addictiſſimus famulus
Blaſius Cuſanus.

Visâ ſupradictâ relatione, imprimatur, & in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Carrillo Reg.
Ortiz Cortes Reg. Calà Reg.

LIBER PRIMVS

DE VESVVIANO INCENDIO
Anno 1630.

Linque truces vesane minas, fremitusque fragosos,
Vesbi, fumosæ sit tandem mitior iræ,
Inclusæque modus flammæ. ceruice superbis
Imperiosus adhuc fractâ! lapidumque propago,
Visceribus reiecta tuis, mollire furores
Præduros nondum potuit! compage fatiscens
Guttur inexhaustum vomit horrida nubila, cælum
Syrmate quæ texunt nigro, tetroque vapore
Inficiunt. Genitæ semper noua pignora flammæ
Vnde tibi suffecta vigent? nouus halitus ignis
Quo surgit genitore satus? fragor ille per omnem
Europam auditus, quo nitro personat altè
Puluereo? mons fœte dolis, præferre niuosum
Sæpè caput gestis, intus stant semina flammæ
Condita, funereas subitò paritura ruinas:
Vastatura domos, camposque, atque ignibus vrbes.
Cùm nequeas aliò splendorem arcersere, flammis
Immeritis ambis fœdum: fastigia casu
Regnorum affectas. famam vulgare per Orbem
Ipse tuam fremitu, nocuoque fragore reposcis.
In pinus acuis fumosa volumina crebris
Fulgetris dissecta, facumque incendia bustis
Funestis arsura paras, trucibusque parentas
Ignibus ad tumulum. toties sæuire nocente

Flammâ nec satis est : eructas flumina, latè
Præcipiti delapsa iugo, quæ ruris honores,
Et Bacchi populentur opes, omnesque virentis
Pomonæ fructus rapiant. Stant fœdera flammas,
Ac lymphas inter nocitura: quod igne relictum
Vnda ruens vastat, tumido trahit amne voluto.
Parthenope, gens nostra, tuo decorata sepulcro
Hactenus exiluit læta : at nunc busta Veseuus
Æternùm lacrymanda parat. Campania felix,
Aduersis iactata malis, sua nomina mutet
Omine funesto, lymphis vastatur & igni:
Delicijs Fortuna tuis inuidit: amœnos
Elysij campos, stygio funestat Auerno,
Clade noua nocituro: incendia sæua, recursu
Annorum reparantur : ferrea viscera fœtu
Vsque nouo ignifero replentur: molle bitumen
Sulphureusque liquor flammis alimenta ministrat
Indefessa suis. Nec vos Craterides vndæ,
Quæ ima iugi alluitis montani, quæque Veseuum
Per cæcos aditus terræ, arcanosque meatus
Furtiuæ intratis, fluctu præbere marino
Subsidium flammis, & pabula parcitis igni
Nascenti. Hincque caui montis malè fœta propago
Ignea, gliscentes augens insana furores,
Et spatium indignata breue, arcto carcere sese
Soluere molitur: materni viscera montis
Concutit, obstans rumpit iter, remorantia saxa
In stipulæ morem sursum proiecta repellit,
Puluereosque globos nigrâ caligine septos
Concitat, & cinerum gaudet tumulare sepulcro
Ante diem fati, viuosque recondere bustis.
Quæ tua sæuities, montis sublime cacumen,
Gur-

Gurges inexhaustus? nunquam Campana vorago
Assiduis explenda malis? tibi, vertice secto,
Ira recrudescit: peiores surgis in iras,
Culmine depresso. Ætnæos superare tumultus
Ambit atrox tuus usque furor. commercia, flammæ,
Fortè per arcanos terræ, cæcosque recessus
Nectitis, & nocuas, iurato fœdere, clades
Instaurare libet, crebrisque instare ruinis.
Heu quoties, succensa tuis Campana, Veseue,
Terra arsit flammis, iacuit depasta fauillis!
Plurima secla tuos narrabunt prisca furores
Flammiferos, vstas vrbes, atque arua colonis
Innumeris viduata suis. Incendia montis
Maxima sustinuit Siren bisdena Veseui
Flebilibus memoranda malis. censere minora
Incassum labor insudet. Te, maxime Plini,
Naturæ egregium, & Sophiæ rimantis ocellum,
Sustulit ex illis vnum, cui flammeus ardor
Maximus. Ah semper probris plectende, Veseue,
Hoc patrare nefas ause. heu nimis inuida fati
Conditio, tantum decus eripis! ille latentes
Indagare facum causas, cineresque pluentes,
Et pluuios lapides, tetrum spectare vaporem,
Venerat æquoreo Miseni è littore, classis
Præses vbi imperio solers flectebat habenas.
Puppe priùs Stabias tenuit: mox, dente reuulso,
Pompeios adijt: cælo spatiatur aperto,
Nocte sub vmbrosâ, cineres visurus & ignes.
Hæc illum dum cura rapit, studiumque moratur;
Haustus ab ore vapor crassus vi guttur anhelum,
Spirandique vias fœdè obsidet. ilicet artus
Spiritus exangues liquit, vitamque volucrem

In tenues auras soluit, lethoque peremptum
Bini collapsum excipiunt, famulique recentis
Vix fati sensere notas. correpta sopore
Membra putant: placidè sic mors se infusa per artus,
Ac tacitè dederat morienti. Noctis opacæ
Palladium hoc lumen tristes fleuere tenebræ
Extinctum: mæstas geminarunt luctibus vmbras.
Emeritum Natura parens defleuit alumnum,
Illius arcanas latebras, doctosque recessus
Rimatum. fleuere lacus, & ruris honores
Arborei: exigui fontes, campique patentes,
Et montes, & flumina. Nereus ipse marinos
In gemitus vertit fluctus lacrymosus amaros.
Abstinuit nec mæsta suis lacrymosa querelis
Siren. Fortè suos malè sanos Vesbius ignes
Increpuit: vindex sæuum ad tormenta vaporem
Lethiferum acciuit, meritasque ob crimina penas
Exegit, tanti sceleris non immemor vltor.
Sed quid prisca diù hæc memoras incendia? luctu
Nunc tristi exequere, & cantu, mea Musa, recense
Funereo, nostri quæ oculis spectanda Vesenus
Sæua dedit, peperitque suis incendia flammis,
Tempore non vllo immemori delenda futuro.
Parthenopen contrà, quâ Sol se pandit eous,
Vesbius in geminum consurgit vertice culmen
Dissectum caueâ mediâ. Surrexerat olim
Culmine penè pari vertex sublimis vterque,
Elatoque iugo: sed nunc quâ tendit in austrum,
Vertice depresso, desedit. dente voraci
Flamma iugum consumpsit edax, culmenque repressit
Igniferum: sensim radices ducit in orbem
Mons teretem, & magno se circinat vndique gyro.

Pla-

Planities subiecta iacet, campique patentes
Circum tenduntur. Vinetis gaudet Iaccus
Fertilibus replere solum, lacrimasque rubentes
Collibus apricis educere. crebra maritas
Stant passim complexa sinu frondentia vites
Arbusta, vberibus post hac cumulanda racemis.
O vtinam has tantùm lacrimas daret amne Vesenus
Purpureo prelis pressas! incendia mœstas
Ex oculis fumo nocuo, flammâque nocente
Excutiunt maiores. fletibus ora madescunt,
Atque hos ipsa tuo, Siren, cratere propinas
Ignibus excussos fletus, imbresque gementes.
Ex Apennini nullis mons nexus adhæret
Montibus: vnus amat, reiecto fœdere amico,
Et socio nexu, solus constare Vesenus.
Cælibis hinc aliqui tribuerunt nomina monti
Pura, sed immerito: nocuas cùm viscera flammas
Fœta nouas semper pariant, cineresque nigrantes,
Sulphureasque faces, vrentia flumina campos;
Et reuoluta iugo, magnas tractura ruinas,
Pondera saxorum, atque exesi fragmina montis.
Vel mea nunc trepido quatiuntur corda pauore,
Atque ingens animum tenet horror, tristis imago
Dum redit in mentem. Tempus iam lustra peregit
Sena, iugo igniuomo cùm Vesbius ignifer arsit.
Quæ quondam nostris obtutibus hausimus, ô nunc,
Musa memor, mihi suggere, tempora sæua recense,
E quæ dira dedit, narres spectacla, Vesenus.
Tristis hyems nobis aderat, gelidusque December
Pene dies medios confecerat. horrida nubes
Condere visa iugum montis. Sol nubilus ortus
Vix matutinos eduxerat; atra vapore,

Et funesta magis nulla est deuecta quadrigis;
Nulla dies peior data nobis: nubila tetra,
Fumosique globi cinerum, fœdique vapores
Altiùs elati, lucem texere serenam,
Ætherinmque iubar. qualis consurgit in altum
Æquali pinus trunco, sed sparsa supernè;
Talis erat nigri species, fœdique vaporis
Impete flammarum aßurgens. fulgetra nitores
Sæpe dabant. post hac montes excreuit in altos
Elatus sine lege vapor, grauidumque putares,
Viscere iam fœto montes peperisse vaporum,
Montanum culmen. tonitru fera signa furoris,
Et rauco dederat fremitu, prænuncia cladis,
Ante Vesenus hians, terræ nutantis ab imo
Sæpius auditus clangor, cæcique fragores
Murmure belligero. Vectus cinis inde furenti
Flamine ventorum, vicinas primus in oras
Incubuit sidens. omnis Campania fœdâ,
Pulvereâ sub nube latet. Pernicior alâ
Mox volucri vectus cinis impiger, omne remotum
Aeriusquesolum cursor peruasit, & Orbem
Penè sua totum fumanti aspergine texit.
Nempe parum cinere hoc pluuio fœdasse propinquos
Lucanos, Calabrosque, & quos tenet Appula tellus,
Et Salentinos, Samnites, regna thiaræ
Romuleæ, populos, quos fertilis Vmbria gignit,
Picenumque fouet, complectitur Itala tellus,
Quas omnes gentes, discretaque terra Triquetrę
Frugifero excepit gremio, fouitque Sicanos.
Transit ad Illyricos. Bizantia littora texit,
Sarmaticumque solum. Visus canescere pontus
Ægæus cinere, æquorei canescere fluctus,

Et spumæ cinerum liuenti aspergine condi,
Subdere deuictum, flammâ gaudente, marinum
Æquor, & in lymphas cinerem exercere triumphũ.
Hæc si visa parum: cineri confecta volucri
Terrarum spatia; Europam deuectus in omnem,
Atque in Asiam, ac Lybien phœbeâ luce perustam,
Quasque colunt Afri terras, cinis actus ab Euro
Peruasit, pluuio fœdauit nubilus imbre.
Sed quîd ego hæc memoro flammantis prima Vesevi
Tentamenta mali? cladis maiora supersunt
Detrimenta nouæ. lapidum cecidere ruinæ
Grandinis in morem. subuectus saxeus imber
Alta priùs tenuit, iaculati turbinis instar,
Excussique globi nitrati pulueris igne.
Mox, casu grauiore ruens, petit ima fragore
Terrifico, ingentes pluuio dat turbine cædes.
Deiecere domos, vrbes pressere ruinis,
Templa, sacrasque ædes, pagos immania saxa
Nubifero reuoluta polo. triuêre comantum
Siluarum, nemorumque decus, sperandaque Bacchi
Munera vitiferi arbustis, atque omne per agros
Sub dio pecus errans, Agricolæque labores
Cunctos potriuêre satos, messemque futuram.
Ast aduersa modum nondum posuere Vesevi
Damna, nocensque malum. maior grauis ira furentis
Restat adhuc flammæ. subitâ caligine cælum
Texitur, & medio Phœbus sua lumina condit
Axe means, refugusque negat spectare cruentum,
Indignumque nefas. pluuijs madet imbribus aer,
Ac mæstis visus lacrymis de nube solutis
Ingemuisse malis, cladem doluisse nocentem.
Summâ etenim de parte iugi, ac fumantis hiatu

Culminis, exiliens fundo sublatus ab imô
Igneus, in ramos, dissecto flumine, torrens,
Montis per cliuum præceps, similisque furenti,
Cuncta tenet loca latè. pestis cuncta pererrat
Torrida, fusa malo igniuomo, rapidisq; fluentis
Bacchatur sine lege nocens, strepituque minaci
Sibilat horrendùm, cladis malè nuncius atrox
Obsedit mox turbo furens, ac flammeus amnis,
Cocyti stygios auidus superare furores,
Oppida vicino circum subiecta Vesevo,
Præclusitque vias fugientibus. æthera clamor
Funereus, luctusque ferit, præuertere mortem
Ori suffusus pallor valet. halitus haustus
Denegat aerios, gelido superante pauore,
Obriguitque metu sanguis, quem flamma reposcit.
Herculeam primo fluuius depascitur vrbem
Igneus. acta cadunt turriti culmina templi:
Ingentes, amplæque domus, cinerumque sepulcris,
Vel flammis tumulata iacent. vestigia primæ
Nulla patent formæ, fortunæ aut signa prioris:
Vrbs, hominum in bustum lacrymabile tota resedit.
Nec Pompeiorum melior sors. ignibus arsit,
Flumineâque pari flammâ. Quid, Musa, per omnes
Ire cupis luctus, & funera? vidimus olim
Hæc oculis. reuocet quid rursus carmen in aures,
Sopitumque diù restauret plaga dolorem
Omine funesto? Quantum vicina Vesevo,
Tot flammas inter, sæuaque incendia cladis,
Cœlitibus seruata tuis, magnoque Patrono,
Parthenope, debes! ignito præda furori,
Ac cinerum aggestis cumulis, lapidumque procellis,
Sulphureisque minis, sæuis data certa ruinis,

Fune-

Funeribusque fores, roseus ni sanguinis imber,
Inclususque cruor vitro funesta Veseui
Ausa repressisset, tetraeq; incendia flammae,
Et laxata vagis posuisset fraena fluentis.
Non haec, Diue, tui miracula prima cruoris,
Nec flammas superasse prior labor inclitus: olim
Te innocuum dias leges, pia iura tuentem
Christiadum, saeui spernentem iussa Tyranni
Impia, Campanâ dudum fornace reclusum
Extimuere faces, potuit nec flamma capillos
Laedere. vel tunc imperio parere iubentis
Illa tuo didicit: prolusit parua camino
In modico victoria. post hac magna supersunt,
Quae referas victor victo de monte trophaea
Flammifero: ignitum cogas in vincla furorem.
Ter, tuus obiectus contra,& per compita sanguis
Vectus, ad igniuomum, & piceâ caligine septum
Culmen inexhaustum, montanas reppulit iras,
Restituitque diem, lacrymosae nubis amictu
Flebiliter tectum. torrentes fluminis ignes
Huc versos, aliô cursu iubet ire retorto,
Puluereosque globos cinerum, foedosque vapores,
Et pluuios lapides flatu difflauit amico.
Sunt, tantâ memori qui nunc à clade, superstes
Parthenope, tibi sensus? vel quas mente reuoluis
Sollicitâ curas? exacti temporis omne
Corde malum oblitum: refrixit flamma Veseui:
Ardet inexhaustae Veneris malè sana Cupido:
Turpis amor flagrat: luxus molliris in omnes,
Delicijs intenta nouis. succrescit in ausa
Peiora hoc vltum scelus, irritasque Veseui
Arsuras iterum flammas, ni foeda resurgens

Culpa

Culpa modum ponat. Post hæc incendia motus
Ciuicus, & Populi surrexit in arma tumultus,
Funeribus qui totam vrbem, Regnumque repleuit
Explendis nunquam lacrymis. quid sæua furentis
Commemorem deflenda luis mala? vidimus ipsi
Post Populi insanos fremitus, vrbisque tumultus,
Post nocuas flammas, tetrique incendia montis,
Horrendam sæuisse luem, contagia fœda,
Tartareâ volitâsse face, infecisse veneno
Aerios tractus, & cunctas flabile virus
Corripuisse vrbes, stragem sparsisse per omnes
Pestiferam labem populos, impleuisse sepulcris
Oppida, camposque in bustum lacrymabile Regnum
Funeribus versum crebris, putridumque cadauer.
Perstat adhuc scelerum contages: ire per omnes
Noxarum formas libet, atque assurgere Olympum
Contra, & cœlestes impellere sæuiùs iras.
Montis adhuc fumosus apex tibi bella minatur
Dira facum: vindex retinet monumenta furoris
Prisca iugum. Solers quid curâ quæris inani,
Vnde nouæ semper subcrescant pabula flammæ,
Atque nouo veniat vigor igni? pabula monti
Criminibus suffecta tuis: euentilat æstus
Ambitio, inflatusque tumor. lethale flabellum
Luxus & ira agitant. Stygijs de corde repulsis
Pone modum noxis, & vindex flamma quiescet.

De

DE OCVLIS.

TE mea ne pigeat Sophiæ tentare recessus,
Musa, iterum. dudum qui nos tenuere labores,
Non odisse decet, quanquam mala semina terræ
Credidimus, sterilique solo spes irrita cessit,
Et vacuus sine fruge labor. quæ longior ætas
Excoluit, studijs ægrè abstinet. inditus ardor,
Naturæ genialis amor, natiua cupido,
Inuitum reuocant. iactatus Nauita ponto,
Et scopulis allisus, amat sulcare carinâ
Expertas toties infidas æquoris vndas,
Et tumidum sine lege salum. Mercator auarus,
Amissis toties opibus, spoliatus opimis
Mercibus, ad priscas remeabit protinus artes,
Immemor expertæ iacturæ. Militis ardor
Aßuetus bellis, fuso per membra cruore,
Vulneribusque recèns languens aspirat anhelus
Ad pugnas, semperque nouæ discrimina cædis.
Nos similis pertentat amor. quæ tetrica Pallas
Me tenuit, reuocat: reuocantem pellimus ægrè
Nunc ætate graues. Oculorum munus amicum,
Nostrum poscit opus. meriti soluantur honores
Luminibus. decorum laudes mea carmina pandant,
Atque operi quanto solers Natura labore
Egregio institerit, quali munimine septos
Iusserit eße Oculos, & quali dote figuræ
Ditârit volui faciles, queis nexibus aptè
Firmârit, quibus & tunicis contexerit: humor
Quique viget varius, teneant quæ vincla volutos
In gyrum, angustoque sinu simulacra tuentis.

Quæ

Quæ ſint rerum Oculis, nullo confuſa tumultu
Excepta, expediam. mox quæ lacrymanda per Orbem
Damna ferant oculi, vitiatæ crimine mentis
In ſcelus armatæ, cupido tibi cuncta reponam.
Tu mihi ne ſenſus alios æquare tuentum,
Aut Oculis conferre putes. ſuper ire tumentes,
Ac cunctis præſtare datum. ſimulacra nitentem
Per lucem tranſmiſſa tenent, commercia Solis
Obtutu ſunt apta ſuo. Si Phœbus Olympi
Eſſe oculus geſtit, fulgentis munera Phœbi
Duplicis exiguo gaudent gemino orbe referre
Bini Oculi, Solique pares proferre tuentes
Longiùs obtutus, arcto nec limite claudi.
Cerne alios ſenſus contracto tramite vires
Exercere ſuas, anguſto & munere fungi.
Diſiectus longis ſpatijs allabitur aures
Vix ſonus, & tenui bibulas vix verberat ictu.
Ora ſapor contacta mouet: perflantur odore
Vicino nares patulæ, tactuque propinquo
Excitur corpus. non hæc, per cuncta tuentes,
Damna tenent Oculos. momento Lumen oberrat
Terrarum, Cœlique plagas. per inane volatu,
Ingenio, mentique pari ſpatia ampla peragrat.
Nil Oculis ſe ſubtrahit: æquoris alta, patentes
Camporum tractus, montis iuga celſa, virentum
Siluarum, nemorumque decus, Mundique per omnes
Se ſe Oculi immittunt partes. diſcrimina rerum
Viſu conſpiciunt: referentia corpora formas,
Ornatus rerum varios, variaſque colorum
Illecebras, varioſque ſitus, variaſque figuras,
Grandiùs ingenti creſcentia corpora mole,
Molis & exiguæ diſcretas ordine partes

Orbe

Orbe omnes toto, numerum, motumque tuentes
Vestigant: quàm ritè sibi, pulchreque cohærent,
Alta quies quas res teneat, quas crebra perennes
In gyrum vertigo rotet, radijsque diurnis
Perfruimur nascente die, morientibus, astra
Sydereo nocturna polo speculamur aperto
Ductu Oculi monstrante vias, mentemque regente.
Nam membris mens tecta suis, nexuque ligata
Corporeo, & celeres alas compressa volucres,
Non sibi sola suas potis est formare figuras,
Et rerum simulacra. suis adiuta ministris
Sensibus, incumbens operi, sibi spectra remissis
Fingit imaginibus, nullâ compage grauata
Corporeâ, & sensus turpi nullo oblita limo.
Sed mage nullus opem sensus, fidumque laborem,
Ac Oculi menti præstant. obtutibus hausta,
Arcanis simulacra vijs, sensusque reposti
Officio, artifici menti purganda remittunt.
His ducibus cæci Sophiæ patuêre recessus
Ingenio, & penitæ Naturæ arcana reposta.
Quis tibi sydereos cursus, cælique rotatus,
Astrorumque situs varios, Lunæque labores,
Et Solis per signa vices, diuersa per Orbem
Tempora, cærulei dudum scrutator Olympi,
Astrologe, & venturi præscia signa reclusit?
Hæc Oculis accepta refers. non Nauita puppim
Æquoreis committet aquis: non cultor agrorum
Findet humum, nec iacta sinu sua semina credet,
Non vites tondere manu, non arua colonus
Exercere velit, ni tempora nata colendo
Apta notent Oculi. Positum nunc carmine pandam
Quemque situm teneant Oculi. Viden', arce locati

Emi-

Emineant summâ, fastigia celsa tenentes
Excubias vt agant vigiles, tectique iugosis
Fronte superciliis, tuti subiecta tuentes
Sublimi de sede notent? hostilia longè
Arma videre queunt; inimicas pellere turmas.
Sic speculam esse decet. Naturæ prouidus artis,
Æmulus atque labor, sublimi sede locatas
Excubias voluit. Cernis fastigia mali
Occupet vt vigil, & latè prospectet in æquor
E celsâ puppis caueâ, qui Nauita pontum
Sulcat, & hostiles metuit vada salsa carinas
Sulcantes pariter, quærendis arte rapinis?
Excubat & summâ nocturnus Miles ab arce,
Iussus in aduersas noctu explorare phalanges,
Montanosque tenent apices, celsumque cacumen
Latronum qui furta timent; qui tecta per vmbras
Insidiosa malis formidant damna periclis.
Hæc nobis vigiles Oculi sub fronte latentes
Detrimenta cauent: auertunt luce ruinas
Præcipites tutâ: errantes per deuia gressus
Ire vetant. vitare dolos, subducere cadi
Ductores nos ritè monent, vitamque gubernant.
Naturæ solertis opus, fidumque laborem
Nunc videas. Oculis ne incommoda praua nocerent,
Ac tuti sub fronte forent, clausere tuentes
Ossa sinu formata cauo, penitisque lacunis
Hastati sepsere pili: texere reposta
Palpebræ obiecto tutantes Lumina vallo.
Hasque dedit motu faciles Natura, reclusis
Vt subitos habeant aditus simulacra patentes,
Vt clausis celeri pellantur noxia motu.
Cerne supercilium, curuato fornice, binos

Bino Oculos positum super, addere gestit honores,
Tutamenque sui lunatis cornibus arcus.
Ah quoque ne his etiam iaciat sua tela Cupîdo,
Figat & arcano cæcum sub pectore vulnus!
Hisque sui sedem posuisse Superbia fastus
Gaudet, & elatos frontis iactare tumores.
Natales in corde gerit, turgescit ab imo,
Atque supercilij celso se vertice tollit
Humanus fastus, nimioque tumore superbit.
Nec frustrà sepsisse pilis curuamina credas
Naturam breuibus, motum tribuisse volucrem
Atque supercilijs: sudores fronte fluentes
Suppositis prohibent Oculis, subitoque repellunt.
Nec non more globi voluit tenuiße figuram
Hæc Oculos, eadem facili quo vertere motu
Se quocunque velint, poßint, seu celsa tueri,
Ima vel aspicere, obliquo aut se flectere cursu
In læuum, dextrumque latus, nil ausa retardat.
Prætereunda mihi tua nec documenta, Mathesis,
Cur largita Oculis fuerit Natura figuram
Orbe rotundatam. magnas haud cernere moles
Corporeas Oculi poßent; sed cuncta tuendo
Æqua forent illis. rectas simulacra ferenda
Ad lumen tenuisse vias, & tendere cursu
Recto opus est. Oculi medio coeuntia centro
Planitiem si nacta forent, simul æqua tuenti,
Quæ in planum subiecta cadunt, obiecta referrent.
Abdita nunc Oculi, Musa, arcanosque recessus
Explorare iuuet. Qualis labor inclitus intus
Conditur, & magnum molimen! sedula vires
Hîc prompsit Natura suas, minimisque superbit
Artificis proferre suæ miracula dextræ.

O si fortè suos Oculi spectare decores,
Arcanosque sinus possent! spectare latentem
Miri operis speciem! tumidi quo crimine fastus
Se se Oculi efferrent! celsi vel sidera Olympi,
Nocturnasque faces, oculati lumina mundi
Despicerent, nitidique poli super ire rotatus
Gestirent. prudens tumidum tamen abstulit ausum,
Auertitque nefas, & fastus crimina longè
Reppulit ex Oculis; texit Natura decores
Ipsa suos illis, & formæ obduxit honores.
In ventos abiere tui, Natura, labores
Polliciti sed enim. vitro spectanda nitenti
Lumina se dederunt, geminato crimine formæ.
Sola illis sed summa patent: latet abditus intus
Egregius, solersque labor. motoribus aptè,
Septenisque toris Oculi constant; quibus orbe
Se se conuertant facili: trahit alter in altum,
Alter ad ima trahit torus, hic latus ire sinistrum,
In dextrum iubet ille; meent duo Lumina, circum
Ire iubentque tori: extremus sed sustinet altè,
Illigat atque Oculos. Tunicas censere laboret
Nunc carmen. quinas medicus mihi censet Apollo
Pæonis arte valens. speculi fert vna nitores
Pura, micans: texti retis dabit illa figuram,
Atque operis, quod prona polo suspendit Arachne.
Tertia folliculos tenues imitabitur vuæ
Detractis pedibus: secto de lamina cornu
Dat quartæ nomen, transmissâ luce nitenti.
Quinta Oculos circum cadenti tramite currit
Firma, hærens, gremioque suo complexa tenaci
Lumina, tecta tenet, stabili & munimine sistit:
Quam, candore suo, tunicam dixère niualem.

Vos

Vos Oculos etiam triplex circunfluit humor,
Et rigat amne latex. O, si quæ sæua tuendo,
Et iaciunt, Oculique ferunt incendia, lymphis
Extinxisse queant inclusis! Irrita vota
Fundimus: his gliscunt mage fædi Cypridis æstus,
Idaliæque faces, & noxia fœdera seruant.
Intimus humor habet glacialis nomina lymphæ,
Christalloque nitet similis, sed mollior amne.
Post hunc proximior succedit vitreus humor:
Humor aquæ similis viciná in sede propinquat.
Hoc habeas illos discretos ordine. centrum
Humor habet medium nostri glacialis Ocelli,
In speculi formata modum quem purior ambit
Circunducta Oculum tunica, & totũ vndique cingit.
Humor hic & mediâ vitreo suffunditur, atque
Parte aliâ mediâ vitreo super enatat amne.
Humoremque dein vitreum tunica altera cingit,
Effigiem quæ retis habet, quæque eminet: humor
Mox glacialis vbi vitreum super ardua cæptum
Sistit iter, clauditque suum sub limite cursum.
Hinc membrana duplex excurrit. prima tuendam
Vuea se tribuit, cuius per pulcra foramen
Pupula se offert, & glacie cristallinus humor.
Hæc tibi dat varios vario suffusa colore
Dein membrana Oculos: nigros dabit oblita nigro,
Et glaucos si glauca patet. dabit esse leonis,
Et felis similes. tenet altera cornea totos
Circum Oculos membrana nitens. interluit humor
Has geminas tunicas, tenuit qui nomen ab vndâ.
Postremum membrana locum tenet extima, sede
Lumina quæ cohibet firmâ, & fundamine sistit.
Huic capite à summo trahitur natalis origo

E tunicâ, cuius caluaria tegmine constat.
Opticus hîc duplex neruus deseruit Ocelli
Structuræ, munusque iuuat. descendit vterque
Parte hic è cerebri dextrâ, parte ille sinistrâ,
Progressique parum, coëunt, rursusque recedunt,
Ritè priùs quàm Oculos subeant. membrana tuetur
Bina illos: intus tenuis diffunditur: extra
Durior excurrit, molli nec tegmine vestit.
Hinc tunicæ geminæ natalis ducta propago,
Natalesque suos gestit membrana referre
Cornea, quæque tenet deductum nomen ab vuâ.
Hos quoque per neruos geminos simulacra feruntur
Hausta Oculis rerum, & visu percepta tuenti
Protinus internum ad sensum, simulatque ministris
Spiritus è cerebro, paruos demissus in orbes
Atque acies Oculorum, munera cuncta videndi
Adiuuat, atque Oculis suffectis viribus adstat.
Hinc vno cerebri vitio languere tuentum
Conspicias Oculos, & caligare malignos.
Interdum, nimij quos munera larga Lyæi,
Quos transuersa tenent subitæ deliria mentis,
Quos rapiet, sine lege furens, malè sana phrenesis,
Visus habet nebulis obductus: namque cerebro
Spiritus impurus delabitur. adde, vaporum
Vim, cerebro interdum reuolutam, turpè vagantem,
Fumosamque nimis, vertigine cuncta voluta
Offerre, & rerum inuersas ostendere formas.
Voluitur vtque vapor, rerum simulacra videnda
Sic reuoluta dabit. fædos hoc crimine, Baccho,
Robustoque mero potos, licet vsque tueri.
Quanquam alijs etiam causis languere videntum
Sæpè queant Oculi, & tenuato munere fungi,
San-

Sanguineus si fortè vigor, tenuisque recurrat
Spiritus, atque inopi censu succurrat Ocellis.
Hinc, quibus exilis, nimiùm durare tuendo
Vix Oculis possunt, & iugi lumine fixi:
Spiritus his etenim facilè vanescit in auras:
At quibus vberior firmis obtutibus hærent,
Exiguum quodcunque vident, rimantur acutè,
Distincteque notant cuncta, & discrimina noscunt.
Si crassus, multusque meet tibi spiritus, inde
Cuncta tibi venient nullo spectanda lobore:
Sed confusa nimis. Vos ô qui pocula lymphis
Hauritis puris, & blandi dona Lyæi
Esse procul vultis, mage cernere Lumine acuto
Sueuistis: pariunt fumosos vina vapores,
Quos longè lymphis Acheloia dona repellunt.
Ipsa Oculos structura iuuat: potis illa nocere
Est Oculis eadem: obtutu nam cernet acuto
Abdita, cui introrsum mage se sua Lumina condunt.
Si cui promineant, obtuso Lumine cernet:
Namque Oculis collecta cauis simulacra coibunt
Densa magis, viresque suas mage promere in vnum
Constipata queunt. exerto in Lumine, latè
Fusa meant, & lenta magis dispersa vagantur.
Nunc quæ damna ferant Oculi memorāda, Camœnæ,
Sunt vobis, quamuis vestrum fœdasse pudorem
Lumine contigerit nunquam, illibata propago
Stirpis Apollineæ, & casti decora inclita Pindi.
Non experta vnquam vobis, audita refertis.
O quos artifices scelerum Venus improba fœdos,
Quosque sibi toto collectos Orbe ministros
Adsciuit casto laturos damna Pudori!
Luminibus viduatus Amor, cæcusque Cupîdo

Culminis, exiliens fundo ſublatus ab imô
Igneus, in ramos, diſſecto flumine, torrens,
Montis per cliuum præceps, ſimiliſque furenti,
Cuncta tenet loca latè. peſtis cuncta pererrat
Torrida, fuſa malo igniuomo, rapidiſq; fluentis
Bacchatur ſine lege nocens, ſtrepituque minaci
Sibilat horrendùm, cladis malè nuncius atrox
Obſedit mox turbo furens, ac flammeus amnis,
Cocyti ſtygios auidus ſuperare furores,
Oppida vicino circum ſubiecta Veſeuo,
Præcluſitque vias fugientibus. æthera clamor
Funereus, luctuſque ferit, præuertere mortem
Ori ſuffuſus pallor valet. halitus hauſtus
Denegat aerios, gelido ſuperante pauore,
Obriguitque metu ſanguis, quem flamma repoſcit.
Herculeam primo fluuius depaſcitur vrbem
Igneus. acta cadunt turriti culmina templi:
Ingentes, amplæque domus, cinerumque ſepulcris,
Vel flammis tumulata iacent. veſtigia primæ
Nulla patent formæ, fortunæ aut ſigna prioris:
Vrbs, hominum in buſtum lacrymabile tota reſedit.
Nec Pompeiorum melior ſors. ignibus arſit,
Flumineâque pari flammâ. Quîd, Muſa, per omnes
Ire cupis luctus, & funera? vidimus olim
Hæc oculis. reuocet quîd rurſus carmen in aures,
Sopitumque diù reſtauret plaga dolorem
Omine funeſto? Quantum vicina Veſeuo,
Tot flammas inter, ſæuæque incendia cladis,
Cælitibus ſeruata tuis, magnoque Patrono,
Parthenope, debes! ignito præda furori,
Ac cinerum aggeſtis cumulis, lapidumque procellis,
Sulphureiſque minis, ſæuis data certa ruinis,

Fune-

Funeribusque fores, roseus ni sanguinis imber,
Inclususque cruor vitro funesta Vesevi
Ausa repressisset, tetraeq; incendia flammae,
Et laxata vagis posuisset fraena fluentis.
Non haec, Dive, tui miracula prima cruoris,
Nec flammas superasse prior labor inclitus: olim
Te innocuum dias leges, pia iura tuentem
Christiadum, saevi spernentem iussa Tyranni
Impia, Campanâ dudum fornace reclusum
Extimuere faces, potuit nec flamma capillos
Laedere. vel tunc imperio parere iubentis
Illa tuo didicit: prolusit parva camino
In modico victoria. post haec magna supersunt,
Quae referas victor victo de monte trophaea
Flammifero: ignitum cogas in vincla furorem.
Ter, tuus obiectus contra, & per compita sanguis
Vectus, ad ignivomum, & piceâ caligine septum
Culmen inexhaustum, montanas reppulit iras,
Restituitque diem, lacrymosae nubis amictu
Flebiliter tectum. torrentes fluminis ignes
Huc versos, aliô cursu iubet ire retorto,
Pulvereosque globos cinerum, foedosque vapores,
Et pluvios lapides flatu difflavit amico.
Sunt, tantâ memori qui nunc à clade, superstes
Parthenope, tibi sensus? vel quas mente revolvis
Sollicitâ curas? exacti temporis omne
Corde malum oblitum: refrixit flamma Vesevi:
Ardet inexhaustae Veneris malè sana Cupido:
Turpis amor flagrat: luxus molliris in omnes,
Delicijs intenta novis. succrescit in ausa
Peiora hoc vltum scelus, irritasque Vesevi
Arsuras iterum flammas, ni foeda resurgens
Culpa

Culpa modum ponat. Post hæc incendia motus
Ciuicus, & Populi surrexit in arma tumultus,
Funeribus qui totam vrbem, Regnumque repleuit
Explendis nunquam lacrymis. quid sæua furentis
Commemorem deflenda luis mala? vidimus ipsi
Post Populi insanos fremitus, vrbisque tumultus,
Post nocuas flammas, tetrique incendia montis,
Horrendam sæuisse luem, contagia fœda,
Tartareâ volitâsse face, infecisse veneno
Aerios tractus, & cunctas flabile virus
Corripuisse vrbes, stragem sparsisse per omnes
Pestiferam labem populos, impleuisse sepulcris
Oppida, camposque in bustum lacrymabile Regnum
Funeribus versum crebris, putridumque cadauer.
Perstat adhuc scelerum contages: ire per omnes
Noxarum formas libet, atque assurgere Olympum
Contra, & cœlestes impellere sæuiùs iras.
Montis adhuc fumosus apex tibi bella minatur
Dira facum: vindex retinet monumenta furoris
Prisca iugum. Solers quîd curâ quæris inani,
Vnde nouæ semper subcrescant pabula flammæ,
Atque nouo veniat vigor igni? pabula monti
Criminibus suffecta tuis: euentilat æstus
Ambitio, inflatusque tumor. lethale flabellum
Luxus & ira agitant. Stygijs de corde repulsis
Pone modum noxis, & vindex flamma quiescet.

De

DE OCVLIS.

Te mea ne pigeat Sophiæ tentare recessus,
Musa, iterum. dudum qui nos tenuere labores,
Non odisse decet, quanquam mala semina terræ
Credidimus, sterilique solo spes irrita cessit,
Et vacuus sine fruge labor. quæ longior ætas
Excoluit, studijs ægrè abstinet. inditus ardor,
Naturæ genialis amor, natiua cupido,
Inuitum reuocant. iactatus Nauita ponto,
Et scopulis allisus, amat sulcare carinâ
Expertas toties infidas æquoris vndas,
Et tumidum sine lege salum. Mercator auarus,
Amissis toties opibus, spoliatus opimis
Mercibus, ad priscas remeabit protinus artes,
Immemor expertæ iacturæ. Militis ardor
Assuetus bellis, fuso per membra cruore,
Vulneribusque recèns languens aspirat anhelus
Ad pugnas, semperque nouæ discrimina cædis.
Nos similis pertentat amor. quæ tetrica Pallas
Me tenuit, reuocat: reuocantem pellimus ægrè
Nunc ætate graues. Oculorum munus amicum,
Nostrum poscit opus. meriti soluantur honores
Luminibus. decorum laudes mea carmina pandant,
Atque operi quanto solers Natura labore
Egregio institerit, quali munimine septos
Iusserit esse Oculos, & quali dote figuræ
Ditârit volui faciles, queis nexibus aptè
Firmârit, quibus & tunicis contexerit: humor
Quique viget varius, teneant quæ vincla volutos
In gyrum, angustoque sinu simulacra tuentis.

Quæ

Quæ ſint rerum Oculis, nullo confuſa tumultu
Excepta, expediam. mox quæ lacrymanda per Orbem
Damna ferant oculi, vitiatæ crimine mentis
In ſcelus armatæ, cupido tibi cuncta reponam.
Tu mihi ne ſenſus alios æquare tuentum,
Aut Oculis conferre putes. ſuper ire tumentes,
Ac cunctis præſtare datum. ſimulacra nitentem
Per lucem tranſmiſſa tenent, commercia Solis
Obtutu ſunt apta ſuo. Si Phœbus Olympi
Eſſe oculus geſtit, fulgentis munera Phœbi
Duplicis exiguo gaudent gemino orbe referre
Bini Oculi, Solique pares proferre tuentes
Longiùs obtutus, arcto nec limite claudi.
Cerne alios ſenſus contracto tramite vires
Exercere ſuas, anguſto & munere fungi.
Diſiectus longis ſpatijs allabitur aures
Vix ſonus, & tenui bibulas vix verberat ictu.
Ora ſapor contacta mouet: perflantur odore
Vicino nares patulæ, tactuque propinquo
Excitur corpus. non hæc, per cuncta tuentes,
Damna tenent Oculos. momento Lumen oberrat
Terrarum, Cœlique plagas. per inane volatu,
Ingenio, mentique pari ſpatia ampla peragrat.
Nil Oculis ſe ſubtrahit: æquoris alta, patentes
Camporum tractus, montis iuga celſa, virentum
Siluarum, nemorumque decus, Mundique per omnes
Se ſe Oculi immittunt partes. diſcrimina rerum
Viſu conſpiciunt: referentia corpora formas,
Ornatus rerum varios, variaſque colorum
Illecebras, varioſque ſitus, variaſque figuras,
Grandiùs ingenti creſcentia corpora mole,
Molis & exiguæ diſcretas ordine partes

Orbe omnes toto, numerum, motumque tuentes
Vestigant: quàm ritè sibi, pulchreque cohærent,
Alta quies quas res teneat, quas crebra perennes
In gyrum vertigo rotet, radijsque diurnis
Perfruimur nascente die, morientibus, astra
Sydereo nocturna polo speculamur aperto
Ductu Oculi monstrante vias, mentemque regente.
Nam membris mens tecta suis, nexuque ligata
Corporeo, & celeres alas compressa volucres,
Non sibi sola suas potis est formare figuras,
Et rerum simulacra. suis adiuta ministris
Sensibus, incumbens operi, sibi spectra remissis
Fingit imaginibus, nullâ compage grauata
Corporeâ, & sensus turpi nullo oblita limo.
Sed mage nullus opem sensus, fidumque laborem,
Ac Oculi menti præstant. obtutibus hausta,
Arcanis simulacra vijs, sensusque repostì
Officio, artifici menti purganda remittunt.
His ducibus cæci Sophiæ patuêre recessus
Ingenio, & penitæ Naturæ arcana reposta.
Quis tibi sydereos cursus, cælique rotatus,
Astrorumque situs varios, Lunæque labores,
Et Solis per signa vices, diuersa per Orbem
Tempora, cærulei dudum scrutator Olympi,
Astrologe, & venturi præscia signa reclusit?
Hæc Oculis accepta refers. non Nauita puppim
Æquoreis committet aquis: non cultor agrorum
Findet humum, nec iacta sinu sua semina credet,
Non vites tondere manu, non arua colonus
Exercere velit, ni tempora nata colendo
Apta notent Oculi. Positum nunc carmine pandam
Quemque situm teneant Oculi. Viden', arce locati
Emi-

Emineant summâ, fastigia celsa tenentes
Excubias vt agant vigiles, tectique iugosis
Fronte superciliis, tuti subiecta tuentes
Sublimi de sede notent? hostilia longè
Arma videre queunt: inimicas pellere turmas.
Sic speculam esse decet. Naturæ prouidus artis,
Æmulus atque labor, sublimi sede locatas
Excubias voluit. Cernis fastigia mali
Occupet vt vigil, & latè prospectet in æquor
E celsâ puppis caueâ, qui Nauita pontum
Sulcat, & hostiles metuit vada salsa carinas
Sulcantes pariter, quærendis arte rapinis?
Excubat & summâ nocturnus Miles ab arce,
Iussus in aduersas noctu explorare phalanges,
Montanosque tenent apices, celsumque cacumen
Latronum qui furta timent; qui tecta per vmbras
Insidiosa malis formidant damna periclis.
Hæc nobis vigiles Oculi sub fronte latentes
Detrimenta cauent: auertunt luce ruinas
Præcipites tutâ: errantes per deuia gressus
Ire vetant. vitare dolos, subducere cædi
Ductores nos ritè monent, vitamque gubernant.
Naturæ solertis opus, fidumque laborem
Nunc videas. Oculis ne incommoda praua nocerent,
Ac tuti sub fronte forent, clausere tuentes
Ossa sinu formata cauo, penitisque lacunis
Hastati sepsere pili: texere reposta
Palpebræ obiecto tutantes Lumina vallo,
Hasque dedit motu faciles Natura, reclusis
Vt subitos habeant aditus simulacra patentes,
Vt clausis celeri pellantur noxia motu.
Cerne supercilium, curuato fornice, binos

Bino

Bino Oculos positum super. addere gestit honores,
Tutamenque sui lunatis cornibus arcus.
Ah quoque ne his etiam iaciat sua tela Cupîdo,
Figat & arcano cæcum sub pectore vulnus!
Hisque sui sedem posuisse Superbia fastus
Gaudet, & elatos frontis iactare tumores.
Natales in corde gerit, turgescit ab imo,
Atque supercilij celso se vertice tollit
Humanus fastus, nimioque tumore superbit.
Nec frustrà sepsisse pilis curuamina credas
Naturam breuibus, motum tribuisse volucrem
Atque superciliјs: sudores fronte fluentes
Suppositis prohibent Oculis, subitoque repellunt.
Nec non more globi voluit tenuiße figuram
Hæc Oculos, eadem facili quo vertere motu
Se quocunque velint, possint, seu celsa tueri,
Ima vel aspicere, obliquo aut se flectere cursu
In læuum, dextrumque latus, nil ausa retardat.
Prætereunda mihi tua nec documenta, Mathesis,
Cur largita Oculis fuerit Natura figuram
Orbe rotundatam. magnas haud cernere moles
Corporeas Oculi poßent; sed cuncta tuendo
Æqua forent illis. rectas simulacra ferenda
Ad lumen tenuisse vias, & tendere cursu
Recto opus est. Oculi medio coeuntia centro
Planitiem si nacta forent, simul æqua tuenti,
Quæ in planum subiecta cadunt, obiecta referrent.
Abdita nunc Oculi, Musa, arcanosque recessus
Explorare iuuet. Qualis labor inclitus intus
Conditur, & magnum molimen! sedula vires
Hîc prompsit Natura suas, minimisque superbit
Artificis proferre suæ miracula dextræ.

O si

O si fortè suos Oculi spectare decores,
Arcanosque sinus possent! spectare latentem
Miri operis speciem! tumidi quo crimine fastus
Se se Oculi efferrent! celsi vel sidera Olympi,
Nocturnasque faces, oculati lumina mundi
Despicerent, nitidique poli super ire rotatus
Gestirent. prudens tumidum tamen abstulit ausum,
Auertitque nefas, & fastus crimina longè
Reppulit ex Oculis; texit Natura decores
Ipsa suos illis, & formæ obduxit honores.
In ventos abiere tui, Natura, labores
Polliciti sed enim. vitro spectanda nitenti
Lumina se dederunt, geminato crimine formæ.
Sola illis sed summa patent: latet abditus intus
Egregius, solersque labor. motoribus aptè,
Septenisque toris Oculi constant; quibus orbe
Se se conuertant facili: trahit alter in altum,
Alter ad ima trahit torus, hic latus ire sinistrum,
In dextrum iubet ille; meent duo Lumina, circum
Ire iubentque tori: extremus sed sustinet altè,
Illigat atque Oculos. Tunicas censere laboret
Nunc carmen. quinas medicus mihi censet Apollo
Pæonis arte valens. speculi fert vna nitores
Pura, micans: texti retis dabit illa figuram,
Atque operis, quod prona polo suspendit Arachne.
Tertia folliculos tenues imitabitur vuæ
Detractis pedibus: secto de lamina cornu
Dat quartæ nomen, transmissâ luce nitenti.
Quinta Oculos circum cadenti tramite currit
Firma, hærens, gremioque suo complexa tenaci
Lumina, tecta tenet, stabili & munimine sistit:
Quam, candore suo, tunicam dixêre niualem.

Vos Oculos etiam triplex circunfluit humor,
Et rigat amne latex. O, si quæ sæua tuendo,
Et iaciunt, Oculique ferunt incendia, lymphis
Extinxisse queant inclusis! Irrita vota
Fundimus: his gliscunt mage fœdi Cypridis æstus,
Idaliæque faces, & noxia fœdera seruant.
Intimus humor habet glacialis nomina lymphæ,
Christalloque nitet similis, sed mollior amne.
Post hunc proximior succedit vitreus humor:
Humor aquæ similis viciná in sede propinquat.
Hoc habeas illos discretos ordine. centrum
Humor habet medium nostri glacialis Ocelli,
In speculi formata modum quem purior ambit
Circunducta Oculum tunica, & totũ vndique cingit.
Humor hic & mediâ vitreo suffunditur, atque
Parte aliâ mediâ vitreo super enatat amne.
Humoremque dein vitreum tunica altera cingit,
Effigiem quæ retis habet, quæque eminet: humor
Mox glacialis vbi vitreum super ardua cæptum
Sistit iter, clauditque suum sub limite cursum.
Hinc membrana duplex excurrit. prima tuendam
Vuea se tribuit, cuius per pulcra foramen
Pupula se offert, & glacie cristallinus humor.
Hæc tibi dat varios vario suffusa colore
Dein membrana Oculos: nigros dabit oblita nigro,
Et glaucos si glauca patet. dabit esse leonis,
Et felis similes. tenet altera cornea totos
Circum Oculos membrana nitens. interluit humor
Has geminas tunicas, tenuit qui nomen ab vndâ.
Postremum membrana locum tenet extima, sede
Lumina quæ cohibet firmâ, & fundamine sistit.
Huic capite à summo trahitur natalis origo

Sanguineus si fortè vigor, tenuisque recurrat
Spiritus, atque inopi censu succurrat Ocellis.
Hinc, quibus exilis, nimiùm durare tuendo
Vix Oculis possunt, & iugi lumine fixi:
Spiritus his etenim facilè vanescit in auras:
At quibus vberior firmis obtutibus hærent,
Exiguum quodcunque vident, rimantur acutè,
Distinctèque notant cuncta, & discrimina noscunt.
Si crassus, multusque meet tibi spiritus, inde
Cuncta tibi venient nullo spectanda lobore:
Sed confusa nimis. Vos ô qui pocula lymphis
Hauritis puris, & blandi dona Lyæi
Esse procul vultis, mage cernere Lumine acuto
Sueuistis: pariunt fumosos vina vapores,
Quos longè lymphis Acheloia dona repellunt.
Ipsa Oculos structura iuuat: potis illa nocere
Est Oculis eadem: obtutu nam cernet acuto
Abdita, cui introrsum mage se sua Lumina condunt.
Si cui promineant, obtuso Lumine cernet:
Namque Oculis collecta cauis simulacra coibunt
Densa magis, viresque suas mage promere in vnum
Constipata queunt. exerto in Lumine, latè
Fusa meant, & lenta magis dispersa vagantur.
Nunc quæ damna ferant Oculi memorāda, Camœnæ,
Sunt vobis, quamuis vestrum fœdasse pudorem
Lumine contigerit nunquam, illibata propago
Stirpis Apollineæ, & casti decora inclita Pindi.
Non experta vnquam vobis, audita refertis.
O quos artifices scelerum Venus improba fœdos,
Quosque sibi toto collectos Orbe ministros
Adsciuit casto laturos damna Pudori!
Luminibus viduatus Amor, cæcusque Cupîdo

 Bella

Bella Oculis grauiora mouet. sua tela reponit
Alterius vibranda Oculis. si Lumina desint,
Frangat Amor pharetras, & spicula vana repellat.
His sibi pandit iter foribus, tectosque recessus
Cordis adit: radijs Oculorum pectora flammis
Vrit & excîtis incendia mutua miscet.
Heu quoties furtiua Oculis simulacra rapinas
Ingressu fecere suo! iactata Pudoris
Iactu Oculi deflenda venit, quæ longa per annos
Virginitas infracta suos efferre triumphos
Gestijt, exiguo pellaci Luminis ictu
Concidit, & fœdè subiecit colla Dionæ.
Assyrium vinxere Ducem, cædique cruentæ
Subiecere Oculi. Sampsonem forma puellæ
In laqueos conspecta dedit: pœnasque tulerunt
Lumina, quæ tantum scelus admisere tuendo,
Eruta: non falsè testata Cupidinis arma,
Et cæcas sine luce notas. Per Lumina flammas
Incestas hausere Senes, crinesque niuales
Idalias texere faces, dum fontis in vndâ
Helciæ subolem fœdè aspexere tuentes.
Lumen vbi Veneri non militat? arma Pudori
Sacrilegè per templa mouet, turpesque rapinas
Ædibus in sacris molitur: fœdiùs ardet,
Inficiturque Oculis venerabilis Ara profanis.
Crimina quis referat libris admissa legendis,
Turpia perque Oculos menti simulacra tuentum
Obscœnasque notas deuectas? ardet imago
Hausta Oculis: animo mollissima verba recurrunt
Iam trepido, ac facili, certam paritura ruinam.
Carminibus, qui candor inest, fœdare Pudorem
Edidicit: nitidis tegitur sub floribus anguis:

Mel-

Mellea virosam pestem tibi verba propinant.
Heu fuge depictas, turpesque videre tabellas,
Et nudas hominum formas. damnanda profundo
Spectra Cupidinea: hoc etenim fucata colore
Tartareo, ingenuum iuuenum tersisse pudorem
Turpè queunt. cupidè veniet quæsita tuenti
Turpis adulterij, quam cernit Lumen, imago:
Quodque refert, pictura docet. tu plecte nocentes,
Si sapias, Oculos. nimiùm nocuêre soluti:
Emeritas subeant pœnas in vincla coacti.

DE VENTIS.

INdagare tuas molitur Musa latebras
Et cæcos penetrare sinus, sedesque repostas,
Æole Ventorum pater, & Rex. cœpta secundet,
Aspiretque tuus lenis fauor. irrita tentem,
Carminibus ni pandat iter, monstretque latentes
Ventorum causas, ignotos flaminis ortus,
Sedulus antè tuus labor. inclusere cauernæ
Has animas, cæco vinxerunt carcere flatus
Antra tuos. & enim quis tanta arcana reuoluat
Abdita? quis genium tenuis, volucrisque vaporis
Ponè sequi valeat? quo concita flamina cursu
Aërias peragrare vias, pontique patentis
Æquoreas miscere plagas, fremituque minaci
Et nemora, & siluas, ingentia robora, montes
In præceps vrgere queant? quæ arcana quietos
Vis moueat Ventos? retrahant quæ fræna furenti
Iræ præcipiti? quæ mollia iussa superbos

Frangant? quo nutu placido compressa quiescant
Murmura, & ingentes ponant sopita fragores?
Arduus hic labor est. Sophiam, mea Musa, regressu,
Sis inuita licèt, repetas. Natura latentes
Has vni rerum causas, tectosque recessus
Vestigare dedit, cæcosque resoluere nexus.
Incipe, Musa, priùs, quâ sibila flamina constent
Materiâ: Ventosa satu quo pignora surgant,
Halituumque prior quæ sit natalis origo.
Esse etenim Ventos scimus; quid sibilus auræ
Sit fremitus, tenuisque animæ natura volucris,
Conditioque latet: nostras allabitur aures
Murmur, at excipiunt oculi simulacra reflantis
Nulla, aciem effugiunt, seseque inuisa recondunt.
Tu mihi ne obtrudas veterum commenta Sophorum;
Nec sopita diù memores portenta per Orbem,
Astrologis inuecta olim, qui cuncta per astra
Turpè regi Cœli statuunt, atque omnia nutu
Sidereo volui, stellis dominantibus Orbem.
Nempe hos cæca rapit sententia. sideris ictu,
Multiplicique vagi, radijsque errantibus, actum
Aëra circum agi iaculatum dispare iactu
Huc illuc ferri volucrem, portasque patentes
Tunc Ventis, laxosque aditus per inane recludi,
Mercurium, Solemque suo cùm Iuppiter axe
Aspexit, Lunæ niueum vel viderit Orbem
Lumine quadrato, vel cùm sua lumina Mauors
Mercurio pariter quadratâ luce ministrat.
Excubiæ hæc vigiles astrorum vana recensent,
Et Ventosa suis quærunt miracula dictis,
Venalemque fidem fallaci merce reposcunt.
Hos procul ire iube Astrologos, mea Musa. per ora

Sana reuolue tua, ac veris insistere tende.
Aërios alij fluxus dixere volucres
Ventorum flatus, agitataque murmura pressi
Aëris. haud vllo exteriùs pellente vaporum
Impete, vel celeres motûs per inane ciente:
Arcanâ sed vi, atque innatis viribus vltro
Aërias animas se se, flamenque mouere.
Hosce loqui ne vera putes: nam sæpius aër
Immotus, desesque iacet. quid? flamina circum
Nos excire licet, nostro dum pellitur antè
Corpore, & incessu pulsus protruditur aër?
Quid quòd nulla etiã dum spirant flamina, & omnes
Omnino Venti posuerunt, concitus aër
Exciri, pellique potest? tormenta fragorem
Dum displosa dabunt, casu dabit alta ruinas
Dum turris, cæsoque cadunt dum robore quercus;
Cimbala dum resonant, tuba dum strepit ære canoro,
Excutitur cunctis aër, pulsusque mouetur;
Tune istos Ventos agitataque flamina dices?
Ergo vias ineat faciles, tritumque pererret
Carmen iter. Ventis calidus, siccusque ministrat
Materiam halitus omnem. percrebescere flatus
Nonne vides calidos Autumni, & Veris aprici
Tempore, Ventorum quando vis multa per Orbem
Suppetit halituum calidorum? Solis in ortu
Sæpius exciri Ventorum flamina cernes;
Elicitur radijs quòd terrâ conditus imâ
Spiritus igne vigens. cùm nix de montibus æstu
Soluitur, erumpunt Venti: niue quippe solutâ
Igneus immistus niuibus, calidusque vaporis
Halitus, excretus celeri se commouet alâ.
Quîd mihi tu Cæli sublimiùs axe rubente,

 Ven-

Ventoſas animas præſcis, loqueriſque futuras?
Ventorum natura monet, quibus ignea conſtat
Siccaque materies. Ventorum ſigna Cometæ
Nunciaferre queunt: his paſcitur igneus ardor
Halitibus ſiccis, calidiſque. an flatibus vda
Ventorum tellus areſcat, ni ignea virtus
Poſſideat Ventos: illorum flammeus æſtus
Inflammet, penetretque ſinus, atque ignibus vrat?
Muſa quid hæc memoras audẽtior? omne Sophorum
Te pugnat contra meritò genus: irrita nullam
Inuenient tua dicta fidem: mea carmina cunctis
Exprobranda dabis, carpendaque, flaminis vdam
Materiam dum ſtulta negas. te noxius Auſter,
Et Notus, & Lybicis quod ſpirat flamen ab oris,
Mendacem, falſamque probant. hos vda vaporum
Vis Ventos replet, pluuios ſoluuntur in imbres,
Impete dum ſpirant, humentia nubila cœlo
Vſque gerunt ſecum, crebris onerata ſub vndis.
Sed temerè ignaui Muſam ne criminis audax,
Ac præceps damnes: etenim peregrina vaporum
Humida ſe Ventis interdum copia miſcet,
Qui ſiccos vitiant flatus, geniumque calentem
Immutare valent. vdus natalibus aër
Nonne etiam interdum peregrino ſiccus ab æſtu
Vritur, & longis ſuccendit tractibus ignes?
Non ego diffiteor, Ventorum flamina gigni
Sæpius in flatus, vdo irrumpente vapore,
Halitibus ſiccis miſto: quin ſæpe tuemur
Æquoreis ſpirare diù cita flamina ab vndis
Humida, & ingenitum referentia tacta vaporem.
Imò etiam credam, non raro flaminis ortum,
Ventorumque nouam ſubolem, pignuſque voluere
Æquo-

Æquoreis tantùm, Solisque vaporibus edi.
Tu tamen, æstiuos Flatus agitante flabello,
Ventos ne credas: geniti sed Flaminis instar
Aëra propulsum Ventos simulare caducos.
Nunc maius mihi surgit opus, quo Flamina pulsu
Mota meent, remeent; quæ vis arcana quietos
Excitet, & celeres stimulent calcaria cursus
Alipedum Ventorum. nil documenta moremur
Stoica: non eadam Senecam commenta secutum,
Iuratum auditorem, & Stoica dicta colentem.
Impete non allo, aut alijs impulsibus actos
Exciri Ventos, & murmura ferre per auras
Sibila; sed genitâ vi, natiuoque vigore
Surgere, & insanos agitare per aëra cursus.
Cur etenim Ventos dederit torpere volucres,
Et pigro languere situ Natura, mouendi
Cùm nobis vires suffecerit? abditus intus
Æolias animas ciet impetus: vrget euntes
Vis arcana leuis, volucris natalis origo.
Sæpè etiam Solis radijs agitata calentis
Flamina conciri, nimio cùm frigore pressus,
Stipatusque aër extenditur, & loca latè
Occupat effusus, Phœbeâ luce patescens.
Hos Zenonas habet Ventorum flamen amicos;
Stoica sunt adytis hæc dogmata cusa repostis:
Hos tamen error agit transuersos. munera motûs
Indulsit Natura vnis viuentibus, vltro
Et dedit ire vias, & mobile pignus habendum.
Quid mihi nunc Solis pressum rarescere iactent
Aëra feruenti radio, rarumque volucres
In Ventos difflari? vis mage feruida flammæ
Æstiuo sub Sole calet, tamen ignibus aër

Imma-

Immotus, desesque iacet. Nec vera locutum
Te, Theophraste, putem, Ventos dum credis obortos
Cùm discreta leuis tendit pars ardua, cùmque
Quæ grauior conflat Ventos pars, pondere pressa,
Ima petit, nexuque suo resoluta recedit,
Vincula diffugiens, nodosque inimica repellens.
Sint tamen ista licèt: quæ vis potis impete tanto
Ventorum flatus stimulis vrgere minaces?
Queis furijs lymphata ruant? bacchata furores
Flamina pulsa gerant tantos? discreta vaporum
Materia in diuersa means, nexusque soluti,
Hos nequeunt magnos fremitus, irasque minaces
Gignere: nec volucris feruentis Flaminis aura
Aëris egelidi, sublimis vecta per oras,
Frigore pulsa retro, tantos reiecta fragores
Acta dabit fugiens, nimbosaque bella ciebit.
Ardua molitur carmen. negat ire Camœna
Per duras Sophiæ salebras, cæcosque recessus,
Docta alias tentare vias, & florida Pindi
Prata, per & colles incedere mollis amœnos:
Sed tentare libet, quamuis sint irrita vota.
Non tibi materiam indecorem ambis. gratior olim
Hic labor accidit, & platanus, doctumque lyceum
Non ingrata tuo cesserunt culta labori.
Ergo, vt Ventosi rimemur Flaminis ortum,
Et motus quæsita diù se pandat origo
Halituum nobis, non vni insistere causæ
Par erit. vtque etenim non vno vecta per æquor
Concita puppis abit remo, sed pulsa marinos
Multiplici sulcat fluctus; sic Flaminis ortum
Plurima causa dabit Ventos excire volucres.
Astra queunt quadam coëuntia. cernis, Orion,

Cùm

Cùm micat infaſtus nautis, aperire procellis,
Et nimbis laxare fores, ſiduſque ruentes
Soluere Flaminibus curſus. cùm Luna rubentes
Oſtentat maculoſa genas; cũm plurimus Orbem
Illius it circum vapor, exercenda minaci
Ventorum flatu putat æquora Nauita; puppim
Credere cautus aquis negat. hos tu Cinthia flatus
Sæpè tuis infenſa creas malè cornibus: Orbem
In totum propior radijs dominaris iniquis.
Et Ventos Solare iubar cùm prodit Eoum,
Excitat interdum ſopitos. conſtat & aſtris
Vis eadem multis, necnon arcana poteſtas
Halituum celeres motus, fremituſque ciendi.
Aëra pulſus agit Ventus, Ventumque viciſſim
Retro ſequax aër pellit: certamina miſcent
Pulſa repulſa aduerſum. ſic celer impetus ambos
Extimulat magnas iras, & murmura gignit.
Hos etiam fremitus Ventis dabit halitus, alta
Cùm præpes, rapiduſque petit. dabit ima coactus
Cùm loca pulſus adit. vos Cœli ſidera, tantos
Ventorum credam ignotos excire fragores.
Flamina quot ſpirent ſed nunc mihi, Muſa, recenſe,
Si qua memor retines, & nomina pauca reuolue.
Præcipuos quæcunque ſuos, regnoque potentes,
Orbis habet Ventos plaga. dat plaga Solis Eoi,
Occiduique dabit Ventos plaga. vergit in auſtrum
Quâ plaga, quâ gelido ſe Mundus pandit ab axe,
Aduerſi ſpirant pugnaci flamine Venti.
Horum quiſque ſuos iurato fœdere flatus
Adiunctos lateri ſocios gerit, ardua ſurgant
Prælia ſi qua, ſuis fracturus viribus hoſtes
Æolios: fractis campos regnare patentes.

Sub-

Subsolane tuis Eois surgis ab oris,
Vulturnusque latus dextrum tegit: inde sinistrum
Circius, & Zephyrus, socij cui flamina iungunt.
Parte aliâ spirat numerosis imbribus Auster,
Quem medium Notus, & rotantibus Africus alis
Cingunt, & crebris gaudent onerare procellis.
Spirat ab egelido Boreas perfrigidus axe,
Et gelidos comites certant augere furores:
Hinc Aquilo, inde suos vrenti frigore Caurus.
Nam quid ego memorem reliquorum nomina censu
Singula Ventorum? liceat tacuisse minores
Halituum flatus, & quos sua quæque volucres
Natiuos regio tenet. ô tua nomina, Præster,
Sint oblita mihi! te nec mea carmina, Turbo,
Præcipites Orbi semper pariture ruinas,
Commemorent. cùm fræna tuo laxare furori
Turbineo per cuncta libet, celeresque rotatus
Voluis, & ingentes violentus surgis in iras;
Quassa tremunt elementa tuo concussa fragore,
Aërios insana rotat vertigo patentes
Campos, præcipiti reuolutum Turbine credas
Æthera sublimem, Furias per inane sorores
Tartareo, sine lege, suo cum Rege solutas
Errare, & Stygias vrgere ad damna cohortes.
Quo se cunque rapit Turbo, monumenta furoris
Linquit, & horrendæ signat vestigia cædis.
Illius ira domos turbat, quatit impete turres,
Mœnia pulsa iacent, ingentia fragmina montis,
Lymphatis auulsa ruunt Furijs: nemus omne,
Siluarumque decus prosternitur, æquora ponti
Concita Neptunus dolet, euersumque profundum,
Se inuito, queritur. spumantia regna tridente

Com-

Compoſuiſſe ſuo haud potis eſt. ſua iuſſa, marinos
Irrumpens fluctus, & credita regna, repellit
Turbo procelloſus, dictis audentior obſtat.
Ima priùs pelagi ſurſus tolluntur: ab alto
Præcipiti rurſum lapſu reuoluta dehiſcunt.
Nauta, quis interea tibi ſenſus Turbine ſepto,
Quæ tibi funereis poſito, obiectoque periclis
Mens erit? ætherio ſic deſes credis Olympo
Vota, præceſque? heu nullis ſpes tua nixa ſalutis
Auxilijs tutanda datur! tibi Numina reſtant
Vltima præſidij adiumenta. ô adijce votis
Spem fidam in Superos. ſola hæc tibi cura ſuperſtes
Certa tenenda malis. præſens fiducia tantas
Turbineas iras abiget, vinectque procellas.
Muſa, quîd hos geſtis ſceleratos Flaminis auſus
Carmine præripere, & dictis præuertere damna
Ventorum? te ritè priùs cenſere ſecundos
Addecet afflatus, & munera præſtita Ventis.
Putris, inerſque foret, viduatus flatibus aër,
Langueretque ſitu turpi: dat purior hauſtus
Aërios, flabris agitantibus, omne malignum
Excutitur vitium, & viroſæ crimina labis
Pulſa procul fugiunt. Ventorum flamen amicum
Ver nitidum expectat. florentia pignora tellus
Educat Æolijs animis fœcunda maritis,
Et pratis ſubolem rediuiuis gignit odoram,
Flora ſatu cumulata nouo. fœcundat ariſtas
Seminibus Cereris ſpirabilis aura Fauoni,
Et ſegetem flauam inchoat. incrementa fouendo,
Naturæ cunctis dat fœtibus, ignibus æſtas
Vſta foret nimijs, flagrarent cuncta calore,
Ni molles Zephyri tenuarent flatibus æſtum.

Carminis officium nunc carbasa tensa reposcunt.
Aurarum quid lenta negas proferre canendo,
Musa memor, munus? remis dedit ire carinas
Sudatus per transtra labor, succussus anhelus
Remige sub nudo laxantes brachia tonsæ.
Stat longas superare vias: disiecta per Orbem
Regna adeunda rate: extremus quærendus Eous.
Remus iners, lentusque venit: da carbasa Ventis,
Nauita, pande sinus, venientes excipe flatus
Cornibus elatis, puppim post terga sequentes,
Vt volet æquoreas, videas, cita vecta per vndas
Alnus, & impletis aurarum Flamine velis,
Visa vel ipsa suos celeres præuertere Ventos.
O tibi non vanam Venti post terga secundi
Vsque fidem seruare queant, quà cærula præter
Ire ratis tua non poterit? lustrabis Eoas,
Occiduasque plagas, nullum non litus adibis:
Ignotos portus intrabis. fœdus amicum
Ora dabit quæcunque tibi telluris & omnes
Diuitias peregrinas, te vectore regresso,
Aspiciet natale solum. dabit India merces,
Et fruges quascunque feres, modò Flamina votis
Grata meent optata tuis. prece pronus Olympum,
Et lacrymis mollire para, ne Flamina puppim
Destituant morientia, ne tibi puppis in alto
Otia pigra gerat, clauoque laboret inerti.
Sed tamen excitos iubeas seruare tenorem,
Spirandique modum Ventos, iussisque solutos,
Et legi parere tuæ, ventosa gubernas
Æole, qui regna, hasque animas in vincla coërces.
Si semel effræni iuuet indulgere furori,
Et coniuratos in prælia surgere Ventos,

Car-

Carceribus missos, & quâ patet ire ruentes
Portâ, cauernosis adytis, quo salsa tumultu
Æquora complenda! & furijs quibus horridus aër
Armandus! visum subitis nigrescere nimbis
Murmure nubifero Cœlum: caua nubila flammas
Igniuomas, imbresque gerunt: caligine tetrâ
Erepto flet Sole polus: mugitibus aër
Horrendùm reboat: tempestas imbribus aucta
Ingratas iam ferre moras non sustinet: Æther
Soluitur in pluuium, resolutis nubibus, æquor.
Iamque suas miratur aquas Neptunus ab imbre
Gliscentes sine lege polum affectare tumentes,
Vndarum aggestis cumulis. patet vnda tuenti
Sola maris, pauidas solus fragor occupat aures
Sibilus, & fremitus: frustra iuuat anchora morsu
Sollicitè deiecta salo: nil dextera clauo
Apta gubernando: cunctas rapit ira procellæ
Nautarum curas, atque artes reddit inanes.
Ne mea te tantis committas Musa procellis:
Verte retro proram, tangat iam carmen arenas.

DE NATALI AVCTORIS Calabriæ solo.

QVid me care iubes ad tempora prisca redire,
Carole, & exactæ dudum renouare iuuentæ
Munera culta olim, canâ frigente senectâ,
Immemorem; tristis subeunt dum tempora lethi,
Et pheretri vocat hora breuis? quæ carmina poscis,
Non votis ingrata tuis, tentanda, iuuentus
Viuida dum viguit; pulcrè dum floruit ætas,

Vere

Vere nouo, & firmæ constabant robora mentis,
Suffectura graui imposito indefessa labori.
Fortè quòd ignoras, me annorum mole grauari,
Et putri mea membra situ languere senili?
Curuantur iam prona solo, deuota pheretro;
Tecturam aspiciunt mox collapsura parentem
Tellurem, fosso gremio. mors aspera sulcos
Impressit ventura genis. iam semina morbi
Maturam in segetem ferro creuêre secandam.
Tu natale solum commune, & patria gentis
Euoluam monumenta iubes: natalis origo
Quæ fuerit, quæ forma loci, quis nomina genti
Prima dedit, quæ terræ vbertas, fertilis anni
Quis prouentus eat, veniat quibus apta ferendis,
Fæcundi natura loci, geniale ministret
Quas fruges tibi spontè solum, quæ copia rerum
Nobilitet patrios fines. hæc ne ipse reuoluam
Carmine vincta breui, dignis & versibus æquem?
Imperium renuisse tuum mihi contigit ægrè;
Iussa sequi res ardua. mentis fluctuat anceps
Cura, animique mei. quædam libare iuuabit,
Obsequar vt iussis. sanè per cuncta vagari
Abstineam, ne impar oneri succumbere cogar.
Lucanis adnexa iugis, quâ tendit in ortum
Est regio. quoties acri cum gente propinquâ
Pugnatum est quondam! quoties pro finibus arma
Finitimi sumpsere truces! nec prælia victi,
Victores nec bella vnquam posuere feroces,
Atq; æquè indomiti populi. gens nescia vinci
Vtraq; & alterius sceptri perferre recusans,
Erectâ ceruice iugum. tenet inclita nomen
Has prope finitimas gentes, regnata potentum

Vrbs

Vrbs iussis delecta Ducum Consentia sedes:
Primigena huic etenim suboles, & regia proles
Imperio decreta venit, sceptrumque regendum.
Quâ Calabri tractus, regio quâ tota recurrit,
Vsque ad Rhegini disiectam littoris oram
Accipit allectus primis natalibus hæres,
Nempe hîc prima sui posuit fundamina regni,
Hîc solij didicit primam perferre palæstram:
Hîc domitor primas regnandi inflexit habenas.
Hâc olim maior Dominus prolusit arenâ,
Natus vbi dedit Herculeus sua nomina genti
Bretius, & claram substruxit mœnibus vrbem.
At quæ forma loci? Septeno colle coronant
In gyrum facili cliuo iuga frondea montis,
Æmula Romuleis. numerosis consita pagis
Ora patet montana super. dat Sirius æstus
Immodico feruore suos? immunis ab æstu
Sole sub ardenti inueniet nouus hospes asylum,
Et tenues gelidis agitatas flatibus auras.
Quæ reuoluta iugis labentia flumina cursu
Præcipiti complent aures? depone ruentes,
Sollicitant qui corda metus. hæc bina fluenta
Nonne duplex decus vrbis erunt? deuoluitur vndis
Auriferis Crathes. vnus Pactolus arenas,
Et Ganges non vnus erit, qui diuite lymphâ
Auratas per regna ferat: tumet amne superbus
Aurifero pariter Crathes; qui interluit vrbem
Amne secans mediam, & magni curuamina pontis
Alta ferens, vrbis scissæ commercia nectit.
Hic, Alarice, tuum reuoluto gurgite corpus
Hausit, & è Regis tumulo sibi sumpsit honores,
Infensus dum bella geris. digressus ab vrbe,

Busenti sibi iungit aquas, & fœdere amico
Per campos, & prata fluunt, riguisque fluentis
Fruge replent agros, fœcundo & rore maritant.
Non vtriusque decus liceat tacuisse fluenti;
Atque viris gratum pariter, pariterque puellis
Flumineum munus: flauescunt rore capilli
Abluti Crathis; Busenti fonte nigrescunt.
Sed me sylua vocat spatio porrecta comanti,
Arboreoque patens circum vastissima gyro.
Quæ spectanda dabit gelido nemorosa recessu
Sylua tibi! piceæ frondosa cacumina tollunt,
Aerium super ire polum frondentis honore
Verticis, atque ausæ nubes calcare tonantes.
Despecto fremit igne Leo: Canis ignea flamma
Ardentes non ausa faces inferre latrantis,
Halitibus furiosa suis. deplorat inertes
Sirius æstiuos medio sub Sole calores:
Sic etenim spissis densantur frondibus vmbræ,
Obiectoque obstat viridi munimine sylua,
Pulsa retro vt redeant sæuæ molimina flammæ,
Irritaque æstiuus certamina conferat ardor.
At tenui sermone loquor: maiora referre
Carmen amat. gelidum crebris sic frigus ab vmbris,
Et glacies natiua viget, tremor occupat artus,
Vt quatiat quoque membra gelu. dum Sirius ardet,
Ligna paranda focis. cæsi de robore trunci
Subsidium perferre decet. non tempora brumæ,
Hibernusque rigor simili te lædet acuto
Frigore, nec tali Boreas algore triumphat,
Dum sua cum niuibus socialia fœdera iungit.
Vsibus apta tuis nemorosa hæc sylua virescit,
Nauita. cæsa dabit stratum syluescere pontum,
Mole

Mole ratum compacta ingenti. robore costas
Hoc valido munita ratis, per Nerea vecta,
Calcabit victrix fluctus. trabe firma marinum
Scindet iter generosa sali. quas sylua procellas
Inconcussa tulit validis radicibus hærens,
Sorte pari, translata mari domitura triumphat.
Neu tibi det trepidum nauis rimosa pauorem:
Hinc pix multa venit solaria glutine docta.
Imbribus eximere, & fluctus arcere marinos.
Hinc quoque fortè Ceres amissam quærere natam
Dum lacrymosa suam genitrix loca cuncta peragrat,
Corripuit nocturna faces. vis ignea tædæ
Nusquam aderit maior, noctis superare tenebras
Luce potens. Ceras nil implorare viator
Est opus: ire vias dum pergis noctis in vmbris,
Subsidium tibi tæda dabit, ventosa repellens
Flamina, maioresque ferens agitata nitores,
Innumeris quô me rapiunt celebrata fodinis
Nunc loca plura tuæ gentis! montana salinis
Viscera sunt fœta, & nullis exhausta rapinis,
Vsque nouo cumulanda satu. candore refossus
Sal niuibus certare queat: mordere palatum
Acrior est nullus. Sed quos includit ocellos
Sæpe sinu montana parens! cristalla nitore
Ire super poterunt. torno formantur in vsus
Multiplices, iucunda oculis spectacla tuentum.
Sæpe laboratum videas mirâ arte salinum
Ex sale natiuum; pinnato vertice turres,
Cælicolum effigies salsas, simulacraque Diuûm
Suspendenda tholo, & vota auditura precantum
Aure, licèt lapidis, facili, mollique vocanti,
Tornatosque globos currendos voce minutos

Supplice, & ad Superos laturos vota petentûm.
Quîd lapidum venas alias, scatebrasque latentes
Percensere queam? Candentia nata fodinis
Indefessa vigent crebris alabastra, perenni
Eruta fossorum ferro; rediuiua fodendo.
Dant venæ similes ebeno nigrore coruscos
Vbertim lapides. desunt adamantis honores
(Rara licèt veniat suboles) nec montibus altis.
Et ferrum sua vena tenet. feralia longè
Sint necis instrumenta malæ. non terra malignis
Vsibus aptari ferrum dedit. educat illa
Materno complexa sinu, vt tibi rastra colendis
Conficias agris, consletur viscera vomer,
Qui telluris aret, sulcos proscindat aratro,
Et matri quæsita suæ qui vulnera portet;
Vulnera fœcundos messi paritura nouales.
Ah tibi ne ferro similes, cognata iuuentus,
Proueniant mores! præstent exempla fodinæ
Longè aliæ meliora tibi, quas terra recondit,
Et Natale solum locuples tibi monstrat in imis
Visceribus. fuluo ditescit terra metallo,
Auriferasque creat venas. tibi terra ministrat
Argenti scatebras. his conformare fodinis
Aureos & mores & candida facta nocentis
Criminis expertis vitæ decet. inclita Cœli
Munera te doceant. discas, tellure magistrâ,
Ingenij, vitæque modum. dulcescere frondes
Rore poli norunt. Cœlum sudare pruinâ
Nonne vides dulci? certum redeuntis ad æstum
Temporis exudat Cœlum tibi molliter imbres,
Dum nox suda madet, dum astris micat illa serenis,
Arboreâ qui fronde leui, folijsque recepti

In dulces globulos concrescunt: vesca caduco,
Et durata gelu pariunt alimenta liquore,
In medicas abitura dapes, & pharmaca. amaris
Iste leuat te ros succis: rheobarbara, & omne
Abijcias medicum virus lethale palato.
Rore pari Isacidûm gentem, deserta tot annos
Per loca, dia poli clementia pauit euntem,
Diuinis dignatam epulis, & cælite libo:
Vt non vna queat gens Isdraëlia lapsas
E Cœlo iactare dapes, & roris honores.
Cætera quid memorem dulci censenda palatò
Dona soli? mellis quæ copia ditet vtrosque,
Et citrà positos fines, longèque remotos?
Feruet apum genus innumerum. densantur amicò
Fœdere per campos examina multa, tributum
Exactura sinu Floræ. populantur honores,
Et Veris rorantis opes. patrantur odoris
Roscida furta thymis. Hinc nota aluearià plenis
Laxantur cumulata fauis, collectaque mella
Flauenti durata gelu, concreta nitore
Aureo, plura cados plures seruanda reposcunt.
Quis numeret niuei concreta coagula lactis,
Vberibusque boum pressos, ouiumque liquores,
In postrema dapum cessuros fercula mensis?
Nec tua dona, Ceres, terræ creduntur auaræ,
Seminibusque tuis parco fructuque maligno
Responsuræ olim: quâ latè tenditur ora,
Quam magnam prisci dixerunt nomine Graiam,
Læta venit, Cereris campis vberrima messis
Non cessura solo Campano; nec tibi, tellus
Appula. Quid referam celebrati munus Iacchi,
Et plenos hoc rore lacus? vindemia feruet

Per loca cuncta frequens. despumant vina Cerillis,
Succina quæ referunt, liquidumque tuentibus aurũ.
Nusquam, Bacche, tuæ meliori palmite vites
Proueniunt. crebri consurgunt vndique colles
Solis ad aspectum positi. matura racemis
Auro par nitet vua, rubet vel muricis instar.
Huc peregrina ratis longè auectura liquores
Multa venit: regio censu ditescit opimo.
Nec tua destituunt tellurem munera, Pallas,
Ingenijs æquè, ac facibus decreta iuuandis.
Est sua laus oleis; peregrè nec munus oliui
Quærendum, donis tellus sibi sufficit vni.
O damnanda nimis deses tua cura, Colone,
Neglectusque labor! mellita veniret arundo
Crebra satis, si culta foret. nec Saccara longè
Arcersenda tibi. tellus te monstrat inertem;
Torpidus haud ausis modicè culpare feracem.
O nunc, Musa, mihi dicenti suffice vires,
Et mea da facili decurrere carmina venâ,
Dum bombycis opus, dum ditia fila reuoluo
Vermiculo tenuanda breui, data maxima donæ
Semine ab exiguo. felix hæc cura, laboris
Est vestri maior, tractantes pensa Puellæ:
Sollicitam nam poscit opem, nauumque laborem,
Serica qui ducit felicia stamina bombyx.
Exiguis semen quod vix par crescit arenis,
Lina priùs constricta tegant, foueantque calore
Non satis immodico. passim feruore tepescens
Vita tenet semen. tenuatæ cuspidis instar
Membra mouens, vitæ testatur dona recentis.
Fronde priùs tenerâ pascendus, candida morus
Quam tibi sufficiet. veniant hæc pabula donec

Ætas

Ætas firma magis crescat. cùm robora constant,
Pelle leues frondes: famulorum turba patentes
Matutina petat campos, vbi plurima nigris
Planities æquata iacet tua consita moris.
Frondibus bis ferro concisis esca paretur
Bombyci dudum: cùm creuerit ore voraci,
Sparge super solidas: morsu tondebit acuto,
Non secus ac frutices norunt tondere capellæ.
Et sua bombyci veniunt quæsita soporis
Tempora. iam pinguem fronde & satis vbere pastũ
Alta quies sepelit: somno tumulatur inerti.
Euigilat? sectos ponas ex arbore ramos,
Vel sparsim multas collecto fasce genistas,
Quas super ire queat. sensim conscendit in altum,
Et serum molitur opus. trahit ore magistro
Stamina, multiplici circùm sinuata recursu,
Visceribus detracta suis, sibi funera donec
Insidiosa paret, diues sibi sponte pheretrum
Componat, propriamque necis sibi construat vrnam.
O supplex da vota polo, precibusque fatiga,
Stamina dum ducit bombyx, ac pendulus vrget
Diues opus, Cœlum tonitru ne personet altè,
Horrendumque ferat stipatum nube fragorem.
Fulmen iter molitum: murmure namque tonante,
Attonitus, præcepsque ruit, cœptumque laborem
Instaurare iterum nequit. omine vota secundent
Cœlicolæ meliore tua, absoluatque laborem
Sedulus inceptum bombycinus arte magister.
An dicenda mihi nunc commoda; sericus affert
Quæ solers opifex, & velleris auctor opimi
Phryxæo melioris? constant æmula Belgis
Serica fila, pari & vario sudata labore

Artificis textoris opus. pulsata resultat
Innumeris textrina locis. Catacia pubes
Naua operi insudans, villosum textile format
Vsibus haud vnis aptum. sua serica templis
Suspendenda pius sacris aulæa reposcit
Cultus, honorque poli. splendescit veste Sacerdos
In nitidâ de more litans. altaria textu
Bombycis decorata nitent. ah prodiga quantum
Luxuries operis fastu consumit inerti,
Atque hominum semper vanis intenta libido!
Membra laborato non sat bombyce, figuris
Intexto circum varijs, varijsque lacunis
Ad luxum ductis obtexere. tegmina non sat
Vulneribus pretiosa suis induxe, rigenti
In filum tenuato auro, punctimque micanti
Tecta super: multo quo vulnere languet egestas
Saucia, & infelix ægros vix sustinet artus,
In famulos currus, sellasque inuecta curules
Serica; mærore, & lacrymis bombyce referto,
Quòd pretiosa sui vili tam viscera censu
Constent, abiectosque labor seruetur in vsus.
Non sat fortè tibi indultum? maiora canentem
Me memorare cupis? gemino spectabilis ora
Vt veniat tua pulcra mari, prospectet vtrosque
Tyrrheni, Ionijque sinus, curuetur vtrumque
Littus vt ad speciem, volucris quod cymba pererret,
Remo vno cautes, alio tangente marinos
Fluctus: vt dulces sparsos per littora fontes
Ora ferat, nullo violatos amne propinquo
Æquoris, & nullâ pelagi salsugine tactos.
Annueret si Musa meis non irrita votis,
Et mihi non longum carmen defessa negaret,

Exequerer nemorum saltus venatibus aptos,
Captandisque feris faciles. genus omne volucrum
Aucupio felix. nec prætermissa natantis,
Squamigerique gregis celebris captura veniret,
Napitio decreta mari; cùm littore ab Afro
Agmina thynnorum, Siculum deuecta per æquor;
Delphino monstrante vias, in retia magnis
Texta cadunt maculis. intrant imò abdita Mortis
Per flexus loca fundo. plurima turba tridente
Quæ feriat, sparsoque rubent freta mista cruore.
Nec te, qua arte doli, Xiphias, mucrone timendus,
Et rostro terebrare rates consuetus acuto,
Præda venis, versu indictum mea Musa taceret.
Flumina censerem fremitu labentia magno,
Montanis delapsa iugis, quibus ora madescat,
Et Calabri grauidentur agri. dent pinguia campis
Pascua. sufficiant herbis alimenta vaganti
Innumero per prata gregi, seu armenta recenses,
Siue greges ouium numeres; numerare capellas
Siue velis. Celebri clarescis nomine famæ,
Magne Acheron, & clara sonat tua nomina, Crathes;
Et, Busente, tua. Apennini ex fontibus ortus
Exarus excurrit. tumido deuoluitur amne
Ocinarus præceps, vbi quondam mœnia magnæ
Terinæ patuêre tuæ: piscosior vnda
Quâ non vlla magis veniet. crebro agmine mugil
Flumineas insedit aquas. stipatur arundo
Vndiuago fixura gradum sub gurgite pisci,
Plurima quem taxus contritâ fronde soporum,
Ac stupidum reddens, hilari dat cæde necandum,
Fluminis in pretium iustâ mercede redempti.
Nec te prætercam, Sybaris, qui turgidus amne

Nomine

Nomine cognatam rapidè præterfluis vrbem
Diues aquis: quam vrbem quondã fundauit Achiua
Gens, post excidium Troiæ, delata procellis,
Et rapidis huc vecta Notis. gens inclita bello,
Et Martis virtute potens; sed mollè palati
Delicijs operata nouis, & prodiga mensis,
Agmina dum ducit crebra, innumerasq; phalanges
Cotronis contra populos, dare terga coacta
Hosti succubuit, deuictis gentibus, vrbe
Turpè solo æquatâ, nulloque superstite pugnæ.
In censum venient Alis reuolutus ab alto
Vertice montano, tacitus Lametius amnis,
Angitulæ Vibone fluens, par nauibus ingens
Crotalus, effusis latè per prata fluentis
Tacina, Metaurus, crescens torrentibus Acris,
Per prærupta fluens obliquo calle Neætus.
Quid celebres vrbes memorem, quas vtraque tellus,
Vel nunc firma tenet, vel quas annosa vetustas
Diruit, aut ferrum absumpsit, telluris hiatus
Aut sorpsit patulæ? Locris vrbs condita priscis
Cernitur infelix bustum, putridumque cadauer.
Et tua, qui Ligurum sedes nunc incolis, ore,
Eloquioque tonans sacro, rostrisque laborem
Impendens, patrio populos transcribis Olympo;
Æqua solo iacuit Caulonia, maxima quondam
Vrbs pelago imposita, aspectu oblectata Marino:
Et perijt prisco subnixa Petilia muro
Structa Philoctetâ, Herculeum comitante laborem.
Nec melior fortuna tuum, fundator Vlysse,
Scylletium tenuit: volucris manet vmbra prioris,
Relliquiæ tenues, & rudera parua vetusti.
O vbi nunc, Terina, tuæ gentis decus, vrbe

Quâ olim nulla fuit potior. colle edita summo,
Tyrrheno dominata mari, vastissima gyro,
Marte potens, opibus locuples cumulata superbis.
Delicijs cunctis felix, quas æquore pontus
Vel piscosus habet, vel flumina bina ministrant;
Cincta quibus speciosa tumes, vel proxima sylua
Aucupio fœcunda dabit, venatibus apta.
Heu tumulata iacet! tellus sulcatur aratro;
Quæ quondam locus vrbis erat. proh? sæpe ruinas
Vomer arat: malè tuta boues immania saxa
Præpediunt; frustrà nixos obiecta morantur.
Hæc tua sunt Lybici sæui monumenta furoris,
Annibal. hostiles hîc duriùs exeris iras
Italiâ pulsus. malè gratus funditus vrbem
Diruis, & priscæ vestigia nulla relinquis.
Sed quid ego dudum carmen, calamumque cruentò
Cædibus, & patrij casus te funere vexo,
Sopitumque diù tento renouare dolorem?
Dent vrbes aliæ egregiæ argumenta canendi
Læta mihi: versu celebretur fama superstes.
Non cecinisse nefas mihi nunc Cotronis honores;
Et priscum memorasse decus. quibus inclita quondã
Illa fuit celebrata viris! Toto Orbe vagatus
Discendi cupidus, tandem Cotrone resedit
Pythagoras Samius. Princeps præcepta Lycæis,
Et Sophiæ documenta dedit. Romana iuuentus
Hûc audire virum confluxit; iura, magistro
Hoc, Numa Rex didicit genti tradenda Quirini.
Hanc coluit sedem laudati carminis Orpheus,
Egregius vates. tibi non, Almæe, negatum
Hos habitare lares. Philolaus laude magistri
Pythagoræ felix vrbem delegit eandem.

Hic,

Hic, Arinote, tuæ tradûxti tempora vitæ?
Hanc super ire Plato laudatas duxit Athenas?
Nec te, Chalcidici clarum Rhegina laboris
Vrbs opus, indictam meus ire iubebit Apollo.
Laudibus æqua tuis quæ carmina Musa reponet?
Seu velit à Graijs cunabula prisca referre,
Seu gentis meminiße decus, seu Martis honores
Egregios memorare tuos? clementia Cæli
Maior vbi veniat? surgentes littore fontes
Dulcis aquæ, & crebris scatebris cõmercia lymphæ
Cum pelago, haud vllo pelagi vitiata sapore
Quis referat? crescunt frondoso germine syluæ
Arboreæ, & nemora Hesperios imitantia lucos?
Punica poma velis, seu medica citria quæras,
Seu magna, & miras oculis referentia formas,
Seu teretem in ventrem crescentia, culmine in alto,
Seu multo curuata sinu, & lunata Dianæ
Cornua turritis aurata gerentia pinnis;
Hæc spectanda oculis regio formosa ministrat.
Terra patet baccata iugis, & colle supino,
Quem fœtu Pomona suo cumulare benigno
Gaudet amans: Bacchus generosis vitibus implet,
Quas non populeæ frondes, vlmique maritant,
Palmite porrecto sursum; longo ordine tellus
Sed pressas, humilesque fouet genitura liquores
Roboris ingentis, multoque & rore domandi.
Quæ species formosa loci, positusque vetustæ
Vrbis erit? vicina fretum dominata Sicanum,
Messanam contra respondet, dissita paruo
Æquoris iniecti spatio. at terrere carinas
Vsque fretũ hoc suetũ, nunquã stabili æquore cõstãs,
Vsque fluit, refluitque redux. Meat vnda meantem

Contra

Contra vndam aduerſa. hîc credas enata repentè
Flumina pulſa, ſimul valido contraria curſu,
Illaque in Occiduam, hæc Eoam tendere in oram.
Fortè hinc vorticibus crebris agitata Carybdis
Semper hians auidis exorbet faucibus alnos.
Sed ſi quando ſemel ſubſtratis fluctibus æquor,
Et placidum ſileat ſopito murmure pontus,
Vitreaque haud vllis ventorum flatibus acta
Vnda nitet; quæ læta dabit ſpectacla tuenda!
Quæ reddet ſimulacra ſalo formata profundo!
Occurrent iucunda oculis turrita per vndas
Mœnia, ſubſtructæ penitis in fluctibus vrbes,
Lunato curuatâ ſinu ſpatia ampla theatri,
Frondoſæ nemorum ſyluæ, iuga celſa virenti
Vertice, camporum ſpatio laxata patenti
Æquore, miſcentes pugnaces prœlia turmæ,
Inſeſſo ad certamen equo vaga monſtra gigantum,
Plurima, laruatas pelago mentita figuras:
Omnia quæ tenuis concîtæ ſibilus auræ
Deleat, atque oculos viſu deludat inani.
Vitæ huius non falſa quidem monumenta fugacis;
Vera ſed humani faſtus exempla caduci.
Nec te prætercam, quæ nomine ferre trophæa
Iure potes; quondam factis cùm plura relata
Sint genti præclara tuæ. Sublimis, ab alto
Vertice, ſubiectum victrix dominaris in æquor,
Elati ſecura tui munimine ſaxi:
Sed magis egregiâ Martis virtute virorum,
Quam gremio generoſa foues, natalibus afflas.
Te circum Pallas natiuâ fronde coronat;
Martia ne virtus vigeat deſerta Mineruæ
Muneribus: donis etenim clareſcis vtriſque

In-

Ingeniisque fauet tellus, fouet arma Gradiuus.
Praclari veniunt natalis sanguinis ortus,
Vt non vlla magis patrio de fonte vetusta
Nobilitas illimis eat, genus inclita auitum
Puriùs intactos generis vel seruet honores.
Hæc votis indulta tuis mea carmina, laudes
Ipsa inopes dederunt, retulerunt carmina nullas.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

DOMINVM

D. IOANNEM CARAMVELEM,

SATRIANI, ET CAMPANIÆ EPISCOPVM,

Hydrunti Archiepiscopum designatum.

MVta diu quid, Musa, siles, neruosque canoros
Ad carmē mihi pigra negas? nūc tāgere chordas,
Et cantus animare decet. Si quando canenti
Implorare mihi libuit tua munera, Phœbe,
Et faciles optare tuas ad vota Camœnas,
Nunc mage tempus adest. plenū mihi pectus ab æstro
Detur Apollineo. toto mihi gurgite manet
Aonius de fonte latex. vos, gloria Pindi,
Parnassique decus, generosi carminis ausum
Castaliæ inspirate Deæ. Sine Numine vestro
Carmen iners molitur opus; succumbet & impar
Ingenti sub mole labor. Quæ copia fandi
Sufficiat celebrare virum? quo carmine laudes,
Caramuel, mea Musa tuas æquare canendo,
Vt cupiat, studiosa queat? quis candida mentis

Mu-

Munera, & innocuos vitæ per singula mores.
Sermo licèt nitidus, quamuis mage purior amne,
Ritè referre tuos poterit? mea prona voluntas
Seruitio deuota tuo, calcaribus vrget;
Exiguum ad laudes retrahit mihi robur habenas.
Sed tentare iuuat. tanto sub pondere præstet
Succubuiße magis, quàm turpiter ore silenti
Egregium fraudasse virum, mihi fœdere iunctum
Dulcis amicitiæ, & cari certamine nexus.
O noua Lucinæ sibi nunc quis munera poscit,
Te nascente, chorus! video certare nitentes
Fœmineâ sub veste Deas. circundare cunas
Sollicitas operi, & puerum curare recentem.
An labor iste poli? an studium venientis Olympi
Infantem formare cupit? Te ad grandia natum
Fortè alijs tribuisse negant; fouisse recusant
Indolis egregiæ, & magnæ fastigia mentis.
Si me cæcus amor, si me non lumina fallunt,
Officijs adstare tuis, vndante coronâ,
Relligio, & Charites, & dio munere Pallas
Natali mihi visa tuo. Charitum labor, oris,
Et frontis formare decus. Sparsisse rubenti,
Et niueo candore genas. tribuisse labellis
Mellitos sermone sonos, Suadæque loquentis
Diuitias omnes, facundæ & munera linguæ
Effuso cumulasse sinu. Sub fronte coruscum
Arcanæ mentis non lubrica signa sagacis
Inclusisse iubar gemini, Solisque venusti
Immortale decus. generosi pectoris ausa,
Atque animi egregij vestigia certa futuri
Afflauisse oculis, & ouantes indole mores
Instillaße tuis natalibus. aureus ô qui,

Illitus

Illitus & nullo fuco, technisque dolosis
Inditus est vitæ genius, concordia linguæ,
Et cordis mansura viget. venator amoris
Purus amor, cunctos nexu sibi iungit amicos
Illectos candore pari. nil fronte superbum,
Aut tumidum sermone geris. festiuus in ore
Constat vbique lepor, iucundæ & gratia linguæ,
Innocuique sales. Socialia fœdera nullus
Asperat, aut lædit vitæ intractabilis horror.
Stat grauitas condîta iocis, & seria ludo
Alternans, miscet. Maiestas inclita vultus
Nil fastus inflata refert, tetrique rigoris,
Sed facilis, comisque venit. tua dona referre
Tam celebri collata viro quis versibus æquet,
Relligio? congesta pari quis diuite censu
Et tua narrabit, Pietas, infusa per ortus?
Lacteus amne liquor suffecit dona labellis.
Mens candore pari labes exosa nefandas
Illibata nitet. roseos diffusus in amnes
Sanguis habet venas. cœlesti murice tinctus
Imbuit ora rubor. pulcrum Natura decorem
Afflauit membris. animum studet æmula Virtus
Diuitijs cumulare suis. Dispersit in omnes
Quas animi egregias dotes, decora inclita mentis,
In te vnum conferre ambit studiosa voluntas,
Et superûm socialis amor. te prima tenentem,
Natalem comitata tuum, data munera vitæ
Ignea, & immodico feruentes sanguine venas,
Decepit non vlla dolo furialis Erynnis,
Nulla Venus tetigit, nullique Cupidinis astus
Insidijs cepere suis. Flos ille iuuentæ
Innocuo sub vere viget. quæcunque dolosas

Est molitâ faces,& tectas fraude fauillas,
Irrita fallacis difflata est cura Diones.
Corde foues ignes alios:te pectoris æstus
Diuersi abripiunt, aliud fodit ilia calcar,
Quo curras generosus iter. quas lena voluptas
Ostendit per plana vias,callesque fugaci
Flore renidentes, deuitas. ardua tentas,
Quò pietas te diua vocat. quod monstrat Olympus
Virtutis sublime iugum,culmenq; vepretis
Vndique prætentum rigidis, septumque salebris,
Non vllo terrore subis.vestigia frustrà
Post tua terga sequax, cursu venator anhelo,
Molitur despectus Honor,festina morari,
Et volucres tardare pedes. gemuere dolentes
Illecebræ,quòd nulla suis responsa querelis
Sint concessa tibi, præstructis auribus, omne
Vocis iter surdæ quòd sepseris aspidis instar.
Ambitio contempta fugit; lacrimosa Voluptas
Vertit iter retro, incaßum retinere fugacem
Blanditijs conata suis.calcantur opimæ
Diuitiæ, quas spondet amor tibi certus habendi,
Egregiæque animi dotes atque inclita virtus.
Nec regnare cupis, mala mentis iussa secutus
Libera,quæque dabit nulli subiecta voluntas,
Arbitrij regina sui: sed cœlite ductu
Te pietas ad claustra vocat, lucemque inuentæ
Nursinâ sub nube tegis, tantique parentis
Fræna libens generosa subis.sub vincla coërces
Præcipuas animi vires: parêre voluntas
Alterius discit iussis: tractabile pectus
Das monitis, mentemque iubes,aliena secutam
Arbitria,arbitrium posuisse suum. Cypris omnis

 Æta-

Ætatis ſub vere nouo, viridiſque iuuentæ
Flore relegatur. thalamis exacta pudicis,
Victima caſa Venus. iungis connubia nexu
Non vnquam ſoluenda polo. deſponſa perenni
Eſt tibi virginitas nodo. præciſa futuræ
Spes omnis ſubolis. iuratus bella Gradiuus
Caſta moues puero Idalio. deuota pudori
Deſpondes arcana tui penetralia cordis,
Et mentem fœdare negas. odiſſe voluntas
Quicquid erit gratum Veneri, quodcunque nefandum
Sollicitare queat, ſtimuliſque vrgere profanis,
Inconcuſſa vouet. tua te ne lubrica fallant
Lumina, & obtutu valeant nocuiſſe licenti,
Sollicitè incumbis frænis cohibere modeſtis,
Et facilè in præceps auertere damna pudoris.
Ora vetas quid turpe loqui: quæ candida corde
Senſa geris puro, niueo ſermone profaris.
Neue tuas immiſſa ſonis ſimulacra per aures
Vana animum tangant, mentemque illapſa fatigent,
Obſtruis auris iter, telumque volatile verbi
Molliter excuſſum cuſtodi vmbone repellis.
Nulla tenet te fluxa hominum quæſita voluptas,
Aut auræ popularis amor: defixus olympo,
Æternis inhias. ſueto conceſſa ſopori
Otia parca negas. vigiles traducere noctes
Eſt labor aſſiduus; tacitâ ſeu mente reuoluis
Ætherei promiſſa poli, vitæque perennis
Præmia longa, breui quondam tribuenda labori,
Seu prece concordi, & ſociali fœdere vocis,
Alterno modulante choro, præconia Diuûm
Indefeſſa canis, Numenq; ad vota ſecundum
Ore trahis ſupplex, & Cœli dona reportas.

Non

Non indicta abeant parcæ ieiunia mensæ,
Et vitæ frugalis amor. conuiuia nullis
Lautitijs celebrata tibi. quæsita voluptas,
Illiciumque gulæ nullum. quæ commoda victu
Sufficiant iusto, & studijs alimenta reponant
Assiduis, sunt empta tuis. Quo carmine narrem
Incly ta virtutum decora, & sublimia menti
Dona poli concessa tuæ! prudentia regnat,
Sed nullis fucata dolis. contemnis honores,
Sed fastu nullo. recti studiosa voluntas,
Semper & obliquos calles exosa nocentum.
Mitia ventosi nunquam inflauêre tumores,
Ingenijq; comes magni, tua pectora, fastus.
Alta tenes: demißa cupis. Fama ora resoluit
In laudes centena tuas; ipse ore silenti
Laudis opus tegis omne tuum. præconia dentur
Si qua tibi, & meritos linguæ persoluat honores
Te coram socialis amor, perfusa rubore
Ora verecundo ostendis: velantur amictæ
Muricis igne genæ: declinas preßa modesto
Pondere, nec sursum tua lumina tollere suffers.
Te tua laus torquet: laudatrix lingua molestum
Supplicium pro laude dabit. tamen vsque recuses,
Inuitusque tuas laudes audire loquendo,
Ingrato sermone feras; tua facta per Orbem,
Et tua te virtus æterno nomine signant.
Nam quis erit, quanquam nostro seiunctus ab Orbe
Degit, & ignoto Cæli versatur in axe,
Cui non nota tui ingenij monumenta sagacis,
Et mentis sublime decus? fax ætheris ardens,
Et nitido decerpta polo, viuisque fauillis
Flamma micans, vigor igneus, igneus halitus astri

Ingenium tenuêre tuum. nulla ala volucris
Ponè sequi valeat, praeuertit flamina cursu,
Ventorum deludit iter. non ipse reponam
Palladiae celebranda tuae miracula mentis,
Dum Latij sermonis inis aetate palaestram
In tenerâ, & primae ponis fundamina linguae
Romuleae. teritur pueris per plurima lustra
Hic labor assiduus: saepe irrita cura laborat
Barbariem confessa suam. quae longa voranda
Taedia! quae dudum pueris toleranda molesta
Discendo in noctem inuitis fastidia! quantis
Saepius vrgendi calcaribus! ore minaci
Terrendi quoties, quoties plectenda flagello
Nocte, dieq; venit torpentis inertia somni!
Non haec vincla tuam mentem tenuêre volucrem,
Nec tales perferre moras est passa. per anni
Solius spatium, dum Sol sua signa pererrat,
Et se per girum certâ vertigine voluit,
Tu Latium percurris iter, metamq; loquendi
Puriùs, haud alijs, properato tramite, tangis.
Grandiùs orantem quoq; te Romana facultas
Ad sua rostra videt. non vllae Rhetoris artes
Ingenium spreuêre tuum. Facundia, priscis
Egregijs aequanda viris hac arte magistris
Cuncta tibi est largita sua ornamenta profuso
Munere, seu nitidam spectes sine crimine linguam,
Seu facilem, & nullo interruptum tramite cursum,
Stat membris distincta suis oratio: viuum
Robur inest verbis: solidis tua verba triumphant
Viribus; ore animas gestu, quae lingua profatur,
Corporis & motu socias ad verba venusto,
Atq; manus orare doces. quo fulmine vocis

In scelus insurgis, dum sacrâ voce nocentes
Arguis è rostris! viijs quæ bella minaci
Ore moues prauis! solido sermone sequendum,
Quo ostendis virtutis iter! succendis inertes
Queis facibus, stimulisque feris! quæ frana ruenti
Inijcis in Stygium linguæ terrore profundum!
Nec vestræ virtutis inops, & laudis egenus,
Castalides, mea cura, Deæ, cultæq; Camænæ,
Ille erit: Aonios largo bibit amne liquores
Inter Apollineos, Parnassi gloria, Vates,
Et plectri celebratus honos, seu grandia cantu
Carmina moliri libeat, seu mollia cultis
Ille elegis tentare velit, seu plectra canendo
In lyricos aptare modos, seu ludere versu
Acriùs instructo, & ferienti cuspide clauso,
Ad tetricæ studeat vitæ, curæque leuamen,
Ire super cunctos, lauri redimitus honore
Ille queat vates, Phœboque augere coronam.
Nam quid, Musa, siles variæ præconia linguæ,
Multiplicisque decus? patrio seu gaudet Ibero,
Atque graui sermone loqui; grandescit in ore
Eloquij maiestas inclyta. Sæpè venustas
Cuspidulis ornata placet, salibusque iocosis
Innocuè inspersis. non illum Græcia laude
Fraudat auara suâ. mellitis moribus aptus,
Atticus ore lepos scribenti verba ministrat.
Quid tua, prime parens generis, concessa loquenti
Munera commemorem? tali non ore profatur
Abramiâ de gente satus. nec discere tantùm
Ista locuturis punctis signata, vel vllis
Non signata notis libuit præcepta loquendi,
Tradere sed cupijt facilis documenta magister

Hæc alijs. tanto quiuis Doctore peritus
Huius amans sermonis erit. nec longa laboris
Tædia ferre dabit. spondet compendia cunctis
Temporis exigui felix fortuna docendi.
Quid leuiora cano, & tenues consector honores,
Grande decus Sophiæ, splendor memorande lycæi,
Et platani solare iubar? tu scita Platonis
Ingenio diuina tenes. quæcunque legenda
Pellæi iuuenis liquit monumenta magister
Clara Stagirites solerti mente penetras,
Luce tibi meliore patent. Zenonis acumen
Pare sibi ferre tuum poterit. quot prisca vetustas
Extulit emeritos, fama celebrante, Magistros,
In laudes cupit ire tuas. Natura repostum
Nil olim dedit esse tibi, lustrare latentes
Es potis & rerum cunctas euoluere causas,
Et Sophiæ arcanos cunctos intrare recessus,
Naturæ venator amans. elementa recondunt
Nil tibi rimanti. vastos telluris hiatus,
Et malè nutantis causas, molisque labantis
Non falsâ ratione tenes. spirabilis auræ
Ingenium geniale capis: nec purior ignis
Te natura latet. satis est perspecta liquentis
Conditio, lymphæque genus. quid soluat in imbres
Aërium sub nube polum: quo frigore grando
In glaciem torpescat iners: quæ mollis origo
Sit niuibus: quali nubes terrore resultent,
Æquantes tormenta sono: quo fulmen ab arcu
Præpes ab axe venit iaculatum: flamina turbo
Quis ventosa ciet: concitis addere fræna,
Quis potis est nutus: vada quis Neptunia salsus:
Inficiat sapor, atque haustus perturbet amaror:

Quis

Quis vapor elato ferales igne cometas
Inflammet: cur regna timent, cur sceptra ruinas
Incusso terrore pauent. miracula lucis,
Nec tua tecta latent, Thaumantias, vnde colores
Tam varios formare queas: curuaris in arcum
Picta sinum quare, & sinuatis cornibus ardes.
Te sua sæpe, tuis oculis, Acherusia vidit
Rimantem secreta palus. quæcunque tuenda
Intus habet portenta lacus; quæcunque latentis
Naturæ miranda fouent stagna inclyta, crebris
Prodigijs Sophiæ, solerti lumine lustras,
Et causas acer vestigas. crassa vaporum
Cur stanti mala turba nocet, depreßa iacentum
Corpora nil lædant, cur mersum lympha latrantem
Vna canem perimat, vitam vocet altera lympha.
Cur volucris pennata cadat, si fortè propinquum
Aërium pertentet iter. nil lina vapore
Consueto demersa lacu nocitura molesto,
Innocuæ defensor aquæ, victorque triumphas.
Parua nimis consector adhuc. Sua dicta Mathesis,
Cui melius tradenda dedit, radiumque regendum
Emerito splendore magis? nil voluere priscos
Est opus Euclides: celebris nil inclyta Claui
Sollicitâ versare manu monumenta recentis.
Laudis vtrumque decus meritũ tua scripta reportãt,
Æternis mansura notis. Quis sidera Cœli,
Astrorumque situm, & coëuntia lumina Mundi
Indagasse queat melius? non sideris arte,
Iudicij fallace leuis, mentisque sinistræ
Arbitrio nixa, & mentiri turpiter ausa,
Tectaque sensa hominum, & cordis secreta latentis
Diuinis monstrata notis, casusque futuros,

Venali præscire dolo; sed verâ secutus
Naturæ documenta bonæ, Sophiæque sagacis.
Quid ventose tuos laudas, Geometra, labores?
Ne terram metire tumens. tu comprime fastum,
Qui loca cũcta soli, atque Orbis spatia ampla patẽtis,
Et montes, atque æquora, flumina, dissita regna,
Atque vrbes omnes pictis monstrare tabellis,
Telluremq; ambis totam describere chartis.
Hic vobis palmare decus, victorque triumphum
Auferet, & vestros tenebris damnabit honores,
Luce suâ meliore nitens. quid, Musa, referre
Cetera docta viri dudum monumenta moraris,
Et calami egregiè impensos celebrare labores?
Altiùs assurgens, Sophiæque arcana triumphans,
Aggreditur secreta poli, ingenioque volucri
Rimari diuina cupit. quodcunque Tonantis
Augustum, sublime decus, cunctisque verendum,
Vel quod dia fides, eiusque oracula pandunt,
Vel labor ingenij, naturæ viribus ardens
Indagare queat, solerti mente reuoluit,
Pergit inaccessum, felici lumine lustrat.
Nec fidei defensor iners, fera monstra furentis
Hæreseos terrore fugat, victorque tumentis
Hydræ colla secans, fidei pia dogmata firmat.
Ingenium sensêre suum deliria nuper
Romuleo damnata foro, Stygijsque caminis
Deuota, & totum quondam execranda per Orbem
Iansenii commenta senis. tu Marte fatigas
Cerbereum hoc monstrum: socio tu fœdere plectis
Has Erebi furias. tu hæc impia dogmata Auerni
Explodis vindex. assertor trudis in orcum.
Cur ego non alia ingenij documenta sagacis

Prosequor inde tui? quantum te nostra Magistro
Est ætas didicisse potis! fundamina morum,
Siue scienda doces, & quæ per lubrica fallunt,
Ostendis ratione vias; seu dena iubentis
Enodas præcepta Dei, qui cultus habendus
Auctori rerum Domino, quæ crimina cultum
Infecisse queant: quæ iuramenta Tonantis
Vsurpare decet: fædent periuria linguam
Quæ damnata polo: quali lux festa quietè
Sit celebranda: suo quantus sit ritè parenti
Impendendus honos. Cædis patrator iniquus
Te scribente patet: furti mala damna rapinis
Immistis aperis: fædis connubia probris
Quo violata modo: Veneris per cuncta nefandæ
Omne nefas retegis. peccet quo crimine testis
Ore loquens falso, & mendacia praua reponens;
Peccet auarus amor, rerumque aliena cupido,
Et thalami alterius scelerată mente reuoluens
Probra, quid, indagas, ambages ritè retexis.
Vt nunc plura sequar calami miracula, & acre
Ingenium testata, tui monumenta docentis,
Temporis exigui spatijs excludor iniquis.
Nec robur mihi tale viget. tu sufficis vnus
Scriptor, & Auctores cunctos includere chartis
Immeritâ non laude potes. quæ obliuia mentem
Sed tenuêre meam? litui memorantur honores
Non vlli! meritis impar indicta siletur
Infula! cura tui vigilis, bone pastor, ouilis
Prætermissa manet! solers prudentia mentis
Tecta latet! cognatus amor, populisque iuuandis
Assiduè studium tenebris damnetur iniquis?
Illaudata tua patiar decora inclyta vitæ,

Et virtutum exempla tuæ? sic casta pudici
Pectoris, eloquio vatis fraudanda silenti
Munera? sic mite ingenium? sic omnis ab irâ
Immunis sensus? sic nullo concita motu
Corda graui? cupidis nunquam stimulata malignè
Turpis auaritiæ stimulis mens? cuncta tacenda
Sunt etenim mihi. præstat grandia facta celebris
Virtutis siluisse tuæ, quàm versibus imis
Depressisse decus. tibi nil tulit infula honoris:
Immortalis honos abs te confertur in illam.

PINGENTIS ACVS LABOR commendatur.

QVid ferro Bellona *tumes? quid martia iactas*
Tela, Gradiue, tua? exacuat tibi Mulciber arma,
Aera faber cudat, sæuâ nouet arte metallum,
Inque aciem chalybem stringat, sonet ictibus incus
Seruitio deuota tuo. sudore minister
Vulcani madeat. fornax mollire laboret
Duritiem ferri indomitam. crudelibus aptet
Vsibus infestas acies furor impius. ignis
Flammifero obsequio facilis, tua vota secundet:
Femineâ sternêris acu. Decora inclyta ferri
Victa rubore tui summittent inuida fasces,
Maius acus confessa decus. Quid conficis ense
Ipse tuo Mauors? quæ laus mucronis acuti,
Et celebris quæ fama tui? spectacla reponet

Quæ

Quæ iucunda oculis, viſu placitura benigno,
Sanguineus labor iſte tuus? furialis Enyo
Cuncta oculis funeſta dabit. per vulnera mucro
Sæuit atrox, hilaris campo Libitina triumphat,
Strage ſolum tegitur, replentur ſanguine foſſæ,
Funera conſurgunt cumulis elata cruentis,
Mœnia preſſa iacent crebris reuoluta ruinis,
Luctus vbique ſonat, mæſtus dolor inſonat aſtris,
Non hæc præſtat acus pingendis ſedula telis?
Læta magis ſpectacla dabit. vitalia figet
Vulnera, viuificas plagas aperire magiſtrâ
Cuſpide nouit amans, punctim formare labores
Vulnificos, viuas habituros arte figuras.
Ipſa etiam ſolertis acus natura laborem
Attonitis oculis cernit. ver cuſpide fictum
Telis, non vllo violandum frigore brumæ,
Miratur ſuper ire ſuum. Florere rubentes
Manſuras per texta roſas, nec vere caduco
Vnquam ſenticomo perituras germine frondes.
Tela riget violis dulci ferrugine tinctis;
Mentitus molli ſpirat Narciſſus odore,
Et mæſtis Hyacinthus hiat, queruliſque figuris:
Candida conſurgunt ſublimi Lilia culmo:
Eſt Tulipis intextus honos: Vaccinia nigrent;
Puniceis folijs flos tinctus Adonidis ardet:
Aurea flaueſcit diluto Caltha colore,
Et ternâ ſub fronde, roſis rubet æmula gyro
Pæonia, & languens reclinat colla Papauer:
Et conuerſa ſuum ſpectat quoque Clythia Solem:
Veris opes cunctas, & Floræ germen odorum
In telas fluxiſſe putes. Quid cetera ſolers
Commemorem, quæ pingit acus? Pictura rubore

Pro-

Probroso suffusa gemit. Sua munera promit
Pomifer Autumnus, Phrygio sudata labore,
Accensura famem: curuantur pondere rami
Arborei, & fœtu gaudet Pomona benigno.
Hîc matura Ceres ostentat prodiga messes:
Porrigit hîc Bacchus maturas vitibus vuas:
Deciduo profert ficus ficulnea collo.
Hîc spectare iuuat quicquid quæsita voluptas
Aspectu valeat vario oblectare tuentes.
Serica tesqua vides nemorosis frondibus aucta,
Vmbrosos passim frutices, camposque virentes,
Arboreos truncos, teretes curuantia ramos
Robora, labentes subtus sine murmure riuos,
Et fontis scatebras, pendentia saxa iugosis
Montibus, introrsum ludentes lumina valles,
Stamine præcipiti, spinoso calle rigentes
Intextas per fila vias, auroque nitentes,
Cuspidulæ ferientis opus. quid picta fugacis
Omnigenæ simulacra feræ, venatibus aptæ
Commemorem, Diana, tuæ? stant dentibus apri
Lunatis ore exertis; terrere Leones
Magnanimi aspectu visi, & quassare minaces
Horrenti ceruice iubas. informia membra
Vrsorum incutiunt gratum spectata pauorem.
Gutture hiat nondum saturo populator ouilis.
Parte aliâ insurgunt renuentes lora molossi
Solliciti captare feras. pede turba minorum
Euasura canes trepido tremefacta ferarum
In cursus effusa ruit. vigor omnis anhelus
In gressus abiit, pedibus se vita tuetur.
Nec tua præteream doctâ fera prælia, Mauors,
Quæ variantur acu. campo dat tela patenti

In-

Instructas ad bella manus, concurrere cernas
Hinc inde aduersas acies: trepidare phalanges,
Et pauidas dare terga fugæ: effuso agmina cursu
Ponè sequi victricia: laxis currere habenis
Deiecti sessoris equos: post terga cruentas
Hosti hastas infixas, funere sternere campum
Cæde triumphali, laceratis cuspide membris;
Sanguine fila rubent taisso per vulnus hiulcum,
Læto oculis terrore dato. Quid fluctibus æquor
Spumosis pictum referam? quid nare per æquor
Squamigerū phrygiâ arte pecus? nec tela volucres
Picta sinum renuit. plures dabit aëra pennis
Tranantes. alias collectis molliter alis
Vngue locupleti, locupleti sidere ramo
Non vnquam volucri pennâ. dant fila colores
Alitibus quoscunque suos, si promere cantum
Quæque suum posset, nemori reddenda volucris.
Quid leuiora cano? solertis cura laboris
Maius opus molitur acus. Philomela sorori,
Per vim virgineo quondam spoliata pudore,
Turpiter abscissâ linguâ, vinclisque retentâ,
Quâ potis arte tui fœdi malè nuncia casus
Probra referre tuæ? ferro vocalis adempta
Auxilium tibi lingua negat, calamūsque minister
Promptus adest operi nullus. quid muta latêre
Fortè sinas tam grande nefas? suffecta labori
Venit acus calamo melior. fœdanda lituris
Litera non vllis, casus aperire nefandos
Picta manu potuit: successus tela figuris
Explicuit: suppleuit acus, quæ lingua recisa,
Quæ calamus narrare nequit, sua probra sorori
Cuspidulis depicta patent: patuêre nefandi

Cri-

Crimina tecta viri. ſcelerati criminis auſum
Plectit acus, pictiſque notis confeſſa pudorem
Ereptum, meritò tribuit tormenta marito.
Per telæ monitus euaſit carceris vmbras
Depictæ germana nigras. fera fercula menſis
Exhibuit conciſus Itys, dapibuſque paternis
Expletis, infanda dedit ſpectacula Tereo
Oblatum nati caput è ceruice reuulſum,
Sæuum oculis tormentum, & vindex pœna furoris.
Et tua, fœde puer, fœdique incentor amoris,
Tela retundit acus, telis operata, Cupido:
Nempe puellaris tractat dum ſtamina dextra,
Et telas depingit acu, torquere ſagittas
Incaſſum moliris, Amor. laxabitur arcus,
Diſtendit dum fila manus. ſecura pudorem
Cuſpidulis defendet acus. quæ vulnera figet
Staminibus, longè propellunt vulnera Amoris.
Nequicquam inſidias texes, fraudeſque doloſas,
Intexit dum fila manus, Phrygioque labore
Sedula curat opus: textis intenta volucris
Mens deuincta manet, Cypriis ſed libera curis.
Sic tutata ſuum Pallas formoſa pudorem:
Æquè inſignis acu, atque armis. ſic Lydius olim
Obſtitit Idaliis curis textricis Arachnes
Infelix certare labor. Quid templa moraris,
Et Superûm ſpectare domos? ô quantus in aras
Accerſitus honos! quantus decor additus ædi
Artificis ſudore manus! ſtat veſte Sacerdos
Inſignis textu Phrygio. velatur amictu
Ara pari textu. cernuntur texta per altos
Suſpenſa in gyrum muros, ſudata labore,
Et pretio ſpectanda pari. proh! vana cupido,

Atque hominū luxus, Phrygios per cuncta labores
Inuexit. tacuisse libet mihi cuspide pictas
Femineas pallas, auro, argentoque rigentes
In fila extenuatis. talos ducta per imos
Vestis, opus dotale ferens; ditissima limbo
Verrit humum. locuplex pondus vix portat anhelus
Femineus sub mole labor, meritumque puellis
Tormentum leuis ingenij, mentisque volucris.
Luxus habet iuuenes idem. stat cuspide thorax
Pictus acus: variantur acu segmenta nitentis
Telæ subsutæ mollis bombycis. acumen
Pingit idem manicas. totus ditescit amictus
Artifici variatus acu: nec miles in armis
Strenuus e phrygio luxu ornamenta repellit.
Illi picta Chlamys contexto fulget ab auro,
Enitet intexto suspensus baltheus auro.
Hæc perferre libet. famulos sub veste, rigenti
Texta auro, tumidos, picto sudore superbos
Quis perferre queat? sudatas cuspide sedes,
Et plagulas auro textas, textasque quadrigas,
Et phaleras gradientis equi, gradientis habenas;
Paupertas laniata dolet. quot vulnera telis
Figit acus, tot sentit inops, atque indigus ardor.

FORTVNÆ, FATIQVE Vanitas.

QVid mortale genus Fortunæ nomen inane,
Et vacuum sine mente sonum, deliria Vatū

Car-

Carminibus celebrata diù, fallacia Vulgi
Somnia; traductæ popularia Numina gentis
Prosequeris votis, & supplex voce fatigas
Rebus adesse tuis? aduersam crimine plectis,
Et probris cumulas, extollis laude secundam,
Votaque complentem, sublimem reddis Olympo,
Cælicolasque inter gaudes censere benignam,
Et numerum complere poli? mortalia vota,
Et gemitus audire putas? regere omnia nutu,
Arbitrioque suo? moderantem legibus Orbem,
Versantemque vices Mundi? non culmen honorum,
Non fasces, amplæque domus fastigia; Regum
Sceptra, nec vlla fore inuitâ hac: non vlla potentũ
Maiestas veniet; durabit splendor auitus
Nullus: Fortunæ nullus sine numine census
Diues erit: frustrà miscebit prælia Mauors,
Atque acies ad bella dabit. nil fidere turmis
Profuerit: nil castra loci firmasse iuuabit
Præsidio. incassum regio munita iugosis
Montibus eligitur. tuto munimine valli
Tu nimiùm ne fide tuo. custodia pernox
Aduigilet, seruetque procul. præmissus iniquum
Præpes eques pertentet iter: certamina pugnæ
Agmen inire paret, partitum lege magistrâ
Ordine lunato, & sinuati robore cornu:
Stet pediti defensor eques: peditesque vicissim
Solliciti tueantur equos: dominata phalanges,
Et varios pugnæ euentus Fortuna secundet
Ni felix, & læta iuuet certamina Martis,
Irrita tentabit meditatos dextra triumphos,
Nec spolijs Bellona suis onerata redibit.
Palladium quid quæris opus, studiumque Mineruæ

Irriguo ſudore colis? quîd lumina ſomno
Per tenebras demens furaris? frigora brumæ,
Et gelidas perfers hyemes, nocturnus oliui,
Aut ceræ populator iners? non vlla laborum
Gloria. Laudis honos nullus. non vlla merenti
Præmia, vel merces, ni Sors fortunet amico
Intuitu; impoſitum verſato & ſubuehat orbe.
Te miſerum Sophiæ dumos ſubijſſe nocentes,
Et ſteriles coluiſſe vepres! quîd luce carentes
Naturæ latebras, atque horrida teſqua receſſu
Ingrato fouiſſe iuuat? loca tetra tenentem
Senticomis prætenta rubis? rauca ora fragoſis
Impleuiße ſonis, bucciſque crepantibus ampla
Atria, & attonitas horrendis vocibus aures
Non ſecus ac Nili ſtrepitu ſublime ruentis,
Certando feciße tuis. Quîd carmina Vates
Caſtalijs hauritis aquis? qîud florea Pindi
Germina ſolliciti decerpitis? indiga fructus
Laurus erit nobis Parnaſſia. Pegaſus alâ
Tollet humo nunquam, nunquam Gryneus Apollo
Emeritâ vos laude feret, nec præmia Muſis
Emeritis ſperare libet, ni cæca ſecundet
Auſpicijs Fortuna ſuis felicibus auſa.
Vos etiam, decreta foro qui iura clientum,
Et cauſas agitîs ſuſceptâ lite, Patroni,
Qui matutino rapientes membra ſopori,
Et citò ſurgentes Solis præuertitis ortum,
Perque lutũ, gelidaſque hiemes, per frigora brumæ,
Per pluuias, per ſicca canis, per torrida cœli
Tempora, per medias fœdo ſudore madentes
Puluerulenta vias agitatis corpora, perque
Stipatos cœtus irrumpitis, impigra quorum

 Tur-

Turba sequax comitatur iter: quos curia litis
Expectat clamosa diù certamina longæ
Tutantes, lentasque moras, & vincla secantes.
Incassum suprema togæ, magnique Senatus
Culmina, spe vanâ, celsas ambitis honores,
Et primos virtute gradus; ni cœpta secundet
Fortunæ per cuncta fauor, tollatque iacentes
Imperiosa manu, & volucrem sublimet in orbem:
Quæ tamen vsque bonis, odijs infensa malignis,
Et meritis aduersa viris, tutatur iniquos,
Et fauet indignis. nitido splendore coruscos
Ire cupit, quos iure suis nox atra tenebris
Obrueret meritis, culmenque attollit in altum,
In præceps quos ire decet. largitur honores,
Probra quibus cumulanda forent, sellæque curuli
Destinat ignauos. operosæ dona Mineruæ
In brutum conferre pecus, stolidumque rudentum
Agmen amat. largo concedit munere census,
Et dites impertit opes queis turpis egestas
Imploranda foret votis, omnique nitenti
Fortunæ ridentis ope; omni ad criminis ansa
Subsidio spoliandi. etenim queis improba largis
Indulget Fortuna bonis, & cæca reponit,
In scelus omne ruunt. luxus laxantur in omnes.
Ad sua-quæque rapit transuersos vota libido.
Non vllis parcunt vitijs. Venus excitat ardens
Incestas in corde faces. furit ardor auarus,
Diuitijs inhiatque nouis. Sors æmula pectus
Assiduo liuore coquit. quis turgida fastu
Ora ferat, tumidæque nimis fastidia frontis,
Elatumque caput, ventosæ & crimina linguæ?
Ira modum nescit, nullo satianda cruore,

Usque neces impasta nouas, & funera quærens.
An dapibus mensura datur? conuiuia noctis,
Et somni rapiunt horas. generosa Lyæi
Pocula crebra meant, donec mens tristis ab æstu
Insanos agitet brutorum more furores.
Huic hominum generi felix Fortuna nefando
Nempe fauet; donis gaudet replere profusis
Par illis sine mente Dea, & versatile Numen;
Egregios virtute viros, mentisque decoræ
Moribus ornatos, reuolutos orbe maligno
Proruit, & pedibus gestit calcare superbis.
Hinc mortale genus priscum, atque ignara vetustas.
Successum mirata nouum, atque euenta maligna,
Quòd nequijt causam illorum explorare latentem,
Fortunæ inuexit Numen, casusque sinistros
Illius arbitrio, illius dedit ire secundos.
Hinc illi posuit Pario de marmore templa
Vana superstitio; celebres indixit honores,
Et cultus, & thura dedit. Suspendit ab alto
Votiuo monumenta tholo, vulgare per orbem
Nominibus studuit varijs, titulisque superbis.
Antia Volscorum cui non Fortuna vetusto
Est audita sono? laudatur Nortia cantu,
Prænestina suo censetur nomine gentis,
Et sua Fortunæ dedit aurea nomina Roma.
Quid Vatum cõmenta canam? quæ probra reportat
Carminibus traducta suis? innixa rotundo
Stat pedibus saxo: volucri versatilis orbe
Est rota prensa manu; insano quam dextra furore,
Atque vllâ sine mente rotat. Surdâ aure querelas,
Et gemitus audire negat, defecta tuenti
Lumine, marmoreis insculpitur improba signis,

Suſpenſoque gradu ſignatur picta colore.
Hæ ne hominum nugæ, & Vatum cõmenta canẽtum
Inueniant ridenda fidem? plectatur Olympus
His hominum probris? Superum conuicia Regi
Lingua procax hæc auſa loqui? procul iſta faceſſant
Deliræ figmenta Deæ. Sibi fata repoſcunt
Nil, quod Vulgus iners finxit. Mentita vetuſtas
Somnia more ſuo ſtultæ venalia genti
Expoſuit fallax; dum fati legibus Orbem,
Fortunæque vices rerum, Mundique tenorem
Arbitrio volui, aut ſuperis cogentibus aſtris
Humanam inſtitui vitam, curſumque ſecundis,
Aduerſiſque regi ſucceſſibus impia finxit.
Fortunæ dum Numen amant inferre, profani
Expunxere Deum, curæque regentis habenas
Excuſſere manu: fatali cuncta reuolui
Lege iubent. Cælo vel ſi quod fortè reponant
Numen; iners faciunt, oblitum prouida mentis
Munera, & obtutu, rerum nil deſide tactum
Succeſſu; ſpreto, ſua ducens otia, mundo.
O brutum ſine mente pecus! ſic mentis acumen
Supremum ſine mente putes? regat arbiter Orbem
Conſilio Omnipotens nullo? permittat habenas
Fortuitæ imperio ſortis? moderator Olympi
Nullâ hominum curâ tangatur? regnet ab alto,
Sed ſceptri dominator iners, Mundumque gubernet
Fortunæ nutu, fatorum lege malignâ?
Quis furor inſanus motæ, & deliria mentis
Per mala cuncta trahant? veſtros quis deuius error
Tranſuerſos animos rapiat, Stygioque barathro
Præcipites damnat? libeat ſi inſiſtere rectis,
Atque animo meliora ſequi; vos conditus Orbis,
Et

Et rerum structura monet, quo Numinis alto
Consilio sint cuncta suo, quâ mente Magistrâ
Edita, & artifici sita moles ordine constet.
Ima tenet solido stabilis fundamine tellus,
Ponderibus librata suis. leuis incubat aër,
Flamine diffuso, cunctis vitale flabellum,
Viuificusque means vigor. amnibus vnda refusis
Tellurem, quâ parte tegit, quâ parte tuendam
Linquit, & extensâ camporum mole supinam,
Multiplici vel valle cauam, vel montibus altis
Tollentem se se, ac fastigia celsa tenentem.
Flamma leuis petit alta poli, seque ignibus vltrò
Ætheriâ sub sede locat. Quid Solis Eoas,
Occiduasque vias memorem, cursusque tenorem
In vicibus stabilem, non vllo tramite falsum?
Tempora lege fluunt certâ, reuoluta per annum,
Nutibus acta Dei. Verno sub Sole coronat
Flore caput tellus, viridem sortita iuuentam:
Torrida succedit maturis frugibus æstas,
Moxque suas Autumnus opes dabit vbere censu;
Pomonæ locuples, & munere diues Iacchi.
Nec tibi, tristis hyems, gelidis conspersa pruinis,
Et niuibus contecta caput tua tempora desunt,
Tetra poli pluuij facies, annique senectus.
Scilicet hæc nutu flectat regnator Olympi,
Consilioque regat solers, & cuncta gubernet.
Res hominum, casus varios, euenta futura,
Felices æui cursus, discrimina vitæ,
Imperij fasces, dominandi iura per Orbem,
Diuitias, humilesque gradus, facta improba cæcis
Permittat fatis? Fortunæ lege reuolui
Cuncta sinat temere? vitas dominantibus astris

Institui, voluique ferat, cogente malignâ
Fatorum serie, & nullo superabile nixu
Arbitrij, iubeat Fortuna currere fatum?
Impietas hæc sæua dedit documenta nefanda,
Libera iura negans, vt laxis iret habenis
Humanum per cuncta nefas. impunè liceret
Ad quodcunque scelus ruere, & vitia omnia, prauo
Non eluctandi fati tegerentur asylo:
Non vlla infandæ Veneri, non vlla rapinis
Fræna coërcenda: in cædes exuta timore
Dextra eat immunis: dominetur sæua tyrannis
Tacta metu nullo: liceat calcare superbo
Abiectos miserè fastu: sit nulla colendi
Cura Dei, nulloque metu spernatur Olympus.
An Virtus hæc probra ferat? decora inclita quondã
Egregijs periere viris. facta ardua dextræ
Magnanimis patrata ausis, vulgata per Orbem,
Amisere decus. frustra sibi præmia Virtus
Fatali sub lege vigens tribuenda reposcit,
Suppliciumque nefas suetum perferre recusat,
Si fata ad scelus impellant. malè facta voluntas,
Et probè facta creat. quid nam sua iura Lycurgus
Incassum seruanda dedit? quid prisca vetustas
Criminibus pœnas statuit? Rhadamante, requires
Immeritò noxas. Ixion, orbe relicto,
Nesciat assidui infelix tormenta rotatus:
Sisyphei cessent reuoluti pondera saxi.
Vsque iecur Titij pastum, semperque renascens
Desine dira pati tondentis vulnera rostri.
Lympha fugax ne falle sitim, pendentia poma
Exaturate famem: fatis namque actus iniquis
Tantalus excusat Pelopeia fercula Diuis.

Ap-

Apposita, & dubia explorantes Numina mensas.
Omne suum sic quisque nefas tutabitur, olli
Si patet ad noxas fati cogentis asylum.
Non igitur Fortuna vices, nec fata gubernant
Res hominum; sed cuncta sagax, & prouida nutu
Cura Dei moderatur. at impia facta secundis
Ire vides hominum rebus, benefacta sinistris
Casibus vsque premi? tantum se tollat in ausum
Ignarum mortale genus, pinguisque Mineruæ
Mẽs hominum, vt secreta poli, atque arcana Tonãtis
Vestigare velit? Summi Rectoris habenis,
Imperijsque modum temeraria ponere tentet,
Cordis inops, sine lege furens, innixa malignis
Consilijs? etenim cultu celebrare verendo,
Non ignauæ hominum mentis pensare, regentis
Arbitrio decreta poli est par; arbiter æquus
Intuitu mortale genus rimatur acuto
Omnipotens. nutu æterno quæcunque gubernat,
Imperioque regit molli. non tactus ab irâ
Præcipiti ferũore furit: non liuidus ardet
In pœnam immeritam vindex: non pectora complet
Insidiosa dolis. odijs vrgetur iniquis
Non vllis, studijs non inclinatur ab vllis,
Partibus aut vllis fauet inconsulta voluntas,
In cunctos proferre libens sua munera diues
Ambit: in immeritos etiam sua dona profundit.
Nullum ope destituit: cunctas cœlestibus vrget
Consilijs, mentesque afflat. pepulisse tenebras
Gaudet, & ætherij indulgens monstrator, Olympi
Pandit iter ductor, qua ne via lubrica fallat;
Per transuersa trahat ne quis malè deuius error.
Ne moueare gradu, trepidâ nec censor iniquus

Mente labes, quòd cuncta bonis aduersa recurrant,
Fausta viris scelerum plenis; capita improba lætos
Traducant sine nube dies: exercita virtus
Ærumnæ sub mole gemat: Fortuna secundet
Noxarum artifices: gaudent qui insistere rectis,
Vitam inopem, fœtamque malis fractamque labore
Assiduo sine fine trahant: circumstet egestas,
Morborumque cohors solatia cuncta repellat.
Hoc breue ne specimen visu te fallat inani
Fortunæ. volucri ridentis imagine formæ
Ne capiare: cadet nam mox ceu sectile fœnum
Omne decus nitidum, tenuique simillima fumo
Gloria vanescet. fastigia celsa ruinam
Prona dabunt. acti rapidi ceu pulueris instar,
Sors felix, cumulatus honor, gazæque peribunt.
Innocui sed vita, malis exercita curis,
Ærumnæ iactata salo, rapidisque procellis
Acta diù, tandem tutâ se colliget actâ,
Et secura metu portum tranquilla tenebit.

DE ASTROLOGIA.

IMplorare tuos mens est mihi, Phœbe, labores,
Et vires, Grynee, tuas. molimina carmen
Non ingrata tibi meditatur. Sidera probris
Immeritis onerata, iuuat, te vindice, tantis
Asserere, & Cœlo conuicia iacta nitenti
Præsidio pepulisse tuo. gens inuida luci,
Atque astris inimica poli, damnare sagaces

Astro-

Astrologos est ausa nimis. labentia Mundo
Signa tuo, seruanda negat: commercia Cæli
Deuouet, & superi consultum lumen Olympi
Sidereum ablegat, dictisque explodit iniquis.
Frustrà ergo ætherio suspendit sidera Mundo
Omnipotens molitor? opes fulgentis Olympi
Incassum spectare dedit? nitidumque theatrum
Inconsultè oculis obiecit? nocte serenâ
Astris vsus erit nullus? voluentur inerti
Sidera per Cælum gyro? nil astra nocere,
Aut terræ prodesse queant? probra vna relicta
Sunt illis ignaua hominum, & ludicra vetustis
Euulgata notis mendacia? furta recurrant
Mercurij, subuecta polum? cantetur adulter
Iuppiter, & niueum fœdè simulasse iuuencum?
Gradiuo sit iuncta Venus? Venus ipsa pudorem
Proiectum sub vincla luat? Saturnus iniquâ
Vapulet ingluuie natorum? nempe videndum
Gentis ad ignauæ tanta hæc conuicia Cælum,
Probrosumque decus veniat? cernetur Olympus
Obtutu cupido, defecto lumine Titan
Si pullatus eat, radijsque exutus, & auro,
Syrmate se nigro condat, terramque tenebris
Incusso terrore tegat? spectabitur astrum
Axe recens natum, & feraci crine cometes?
Cum Lunæ sua sistra labor, crepitusque sonoros
Defectus quærit; defixi cernimus æthram
Intenti ad noua probra poli? an non, consule vitro,
Ætherium maculis Solem damnamus inustis,
Et lucem fœdare libet? moderator Olympi
Non ad probra dedit tantæ hæc spectacula pompæ
Sidereæ: vacuos Cæli non condidit ignes

Mune-

Muneribus, vanosque suos dedit ire rotatus.
Est sua vis astris. subiecta in corpora regnant,
Et facili imperio dominantur. Iuppiter ortus
Propitio splendore iuuat, moresque benignos
Instillat, vultus gaudens afflare serenos.
Instigat fera bella, truces animosque Gradiuus
Indit atrox. quæ luce preit Titana coruscum,
Ingenium dat molle Venus. Saturnia mentem
Lux mærore grauat, curisque sequacibus implet.
Erudit inspectos ad mollia munera fandi
Mercurius, studiumque nouis natalibus afflat.
Sed quid ego hæc memoro? quæ nō solerter ab astris
Ars sibi poscit opem? quæ non surgentia Cælo
Signa notat, stellæque iubar morientis, & ortæ
Sedula non seruat? consulto sidere, nauta
Æquoreo dat vela salo: nimbosus Orion
Pandere lina negat: Cælo obseruatur aquosus
Pleiadum fulgor: fraterno lumine Castor,
Et Pollux bona signa dabunt. sua plaustra Bootes
Non ingrata feret. radijs Cynosura benignis,
Atque Elice puppim pelago dabit ire secundo.
Et seruanda tibi veniant quoque sidera, cultor
Agrorum. ni signa notes, & prouidus astra
Obserues, malè faustus erit labor: irrita messis
Seminibus speranda tuis. prospectet arator
Sidera: sideribus tellus versanda colono
Consultis: ferro vites frondator adunco,
Astrorum sub lege secet. nec vinitor vuas
Sub prælis vrgere paret, nisi sidus amicum
Spondeat vberibus Baccheia dona racemis.
Oblita haud vobis astrorum cura, gerentes
Arma, Duces, veniat, lectique ad bella magistri,
Bel-

Bellonæ, Martisque decus. sic carmine quondam
Mæonio Vates pugnacem finxit Vlyssem
Sidereos cursus callentem: sidera Chiron
Sic seruare poli docuit moderator Achillem.
Hac etiam Herculeus labor est instructus ab arte
Sidereâ. Quoties aduerso Marte phalanges
Pugnauere truces, Cæli quòd segnius artem
Neglexere Duces; notis nec desuper astris
Conseruere manus? Lunæ improuisa nitentis
Eclypsis tenebrosa suo spoliauit Athenas
Milite, dum propter Syracusas agmina ducit
Nicia: mentis inops subito terrore tenebræ
Perculsus, secura fugam dum lumina Lunæ
Tecta monent, subitæ ignarus caliginis atræ,
Anceps sistit iter, captiuaque vincla reportat.
Non ego Pæoniâ celebratos arte magistros
Immemori sileam versu, indictosque relinquam
Carminibus, sine laude, meis. Seruatis & astra
Vos etiam, Lunæque iubar, coëuntia Cælo
Sidera sideribus; positus, & fædera lucis,
Stellarumque domos. non vena incisa, cruentâ
Cuspide, non potus medicatis haustibus æger,
Lunari renuente globo. didicistis amicos,
Et criticos seruare dies. sensistis ab astris
Euentura malæ febris præscita futuræ,
Aut languescentes, posituris ignibus, æstus,
Aut properè occasus instantis fata propinqui.
Astrorum seruator erat Podalyrius: astra
Arte pari pollens seruat cum fratre Machaon.
Sidera seruarunt Arabes, medicique Pelasgi.
Ah pudet in censum, synceræ sideris artis,
Ignauum numerare pecus, stolidosque rudentes,

Qui

Qui ventura monent, modicis signata tabellis
Tempora, & infamant vanis successibus annum
Vaniloqui, chartasque notis mendacibus implent,
Astrorum probrosa lues, diuina propago
Tartareis damnanda focis. nisi falsa profari,
Nil istos videas. infamant astra loquaces
Euentu fraudanda suo. cecinere serenos,
Et rutilos sine nube dies? obnubilus horror
Impleuit conuexa poli. fœdam imbribus æthram
Edicunt? nunquam radijs effulsit Olympus,
Iucundoque magis vultu. ventosa procellis
Æquora? sopito iacuerunt marmora ponto.
Flamina fata gelu? calido torremur ab austro:
Plurima victa cadet morbis annosa senectus?
Illa viget robusta mage. inconsulta iuuentus
Prona ruet? febris valido decumbet ab æstu.
Error habet falsos idem. O quæ fausta notantur!
Fœcundus spondetur ager, lætique nouales;
Vber ad arua Ceres, cumulatis horrea donis,
Felici Pomona satu, vindemia labris,
Et pleno spumosa lacu: pascentia campos
Herbosos armenta suo bene pinguia pastu?
Irrita vota cadunt. nunquam sterilescere tellus
Visa magis. nunquam infelix annona colono,
Et prædura magis respondit. tempora nunquam
Successu caruere magis frustrata benigno.
Quid? quod in arcanæ mentis, fidentibus ausis,
Consilijs se se immiscent, vnique Tonanti
Noße datum sensa, atque animi secreta reposti,
Venturæque vices sortis, casusque futuros,
Prædicunt Stygio maculati crimine, Vates,
Cornices Erebi, Bubones tristis Auerni.

Cuncta labant euenta fide haec promissa per astra
Fallaci. vanis ceciderunt omina doctis,
Et votis aduersa suis. Longaeua senectus
Sidereo est promissa polo? succiditur aetas
Vere nouo pubescens. rupit stamina Clotho,
Plena colus dum fila dabat. Spondentur honores?
Ima sedet fortuna gradu. fastigia Regni
Seruiles tenuere notae. decora alta Gradiui
Ignauos dederunt animos, mollemque iuuentam.
Palladium ingenium, solers & mentis acumen
Astra tibi signant? stolidi de more rudentis,
Cordis inops, pinguem sapies sine mēte, Mineruam.
Non haec dicta velim, damnem quòd sideris artem,
Astra poli, aut seruanda negem. rimeris ab astris,
Quae rimanda decent. Naturae coniice causas;
Effectus perpende libens. quae spondeat annus
Tempora, per Caelum variis coëuntibus astris
Indagare datur. ventorum flabra furentum,
Aëriasque minas, tonitrus, Caelique ruinas
Imbriferas, gelidas hyemes, tempusque niuale,
Humentis Caeli vitium, turbanda procellis
Aequora, telluris trepidos sub vere tremores,
Immodicè arsuros aestiuo Sole calores,
Et furiosa Canis latura incendia terris
Ora, peremptura & saeuis latratibus auras.
Autumni morbosa lues, foliisque caducis
Corporibus nocua inclementis sideris ira
Sit dubiis praescita notis. euenta futura,
Irrita saepè cadunt, causâ defecta malignâ,
Quae vires tenuata suas, effectibus impar
Deludit praescita hominum, vel robore constans
Illa suo, alterius causae adiumenta reposcens,

Indiga vanescit, socio deserta labore.
Sæpè etiam mage causa potens aduersa, retardat
Robur, & in ventos molimina cœpta resoluit.
Cui non vlla tamen vires, roburque retardet,
Illa dabit veri præsagia certa futuri.
Hinc certam meruêre fidem tibi, Cinthia, lumen
Qui defecturum, fraternâ luce negatâ,
Orbe vel in toto, mediâ vel parte profantur
Veridici Vates, nitidi sic lumina Solis
Obducenda monent, radijs fraudata coruscis,
Lunari texente globo. non ipse recusem,
Vos etiam Astrologos agnata ad munera vires
Propensas animo explorare. hunc Martia virtus
Ad pugnas feruore ciet: natalis ad arma
Finxit ab vngue dies tenero. Mercator auarus
Ille satus genio. iucundæ Palladis artes,
Et musæ alliciunt alios. ad iurgia natus,
Et lites hic alter erit. pictura, magistro
Nullo, alium docuit minio formare figuras.
Hic venator erit. vehet alter nauita puppim,
Sidereo suadente polo. mollitur ab Astris
Alter, & ad Veneris fœdè instigatur amores.
Hic studij cupidus tetrici, Sophiæque seueræ
Naturæ instinctu crescit. Sub sidere certo
Ad sua quemque vocat Naturæ, lucis ab ortu,
Munera certus amor, genialis & inditus ardor.
Hos ego (nil renuo) affectus, & prona, sagaci
Ingenio explorare, & munia pendere, librâ
Consultâ astrorum, modò non humana voluntas,
Arbitrij regina sui, patiatur iniquum,
Impositum per fata iugum; sed carceris expers
Libera iura throni, atque immunia sceptra guberne.
Na-

Nata sibi soli parere, nec vlla coacta
Iussa aliena sequi; duris vel legibus vllis
Vincta, subire feræ captiua tyrannidis ausa,
Imperio spoliata suo. damnetur Auernis
Impietas hæc stulta focis. docuere nefandam
Sideream hanc artem, sceleri qui fræna soluta
Esse suo cupiere, vrgentibus omnia fatis,
Natalique astro vitæ moderante corusco
Humanæ momenta suæ, cursumque futurum;
Incassum fatis, hominum obsistente labore,
Et curâ nil profuturâ. præmia Virtus
Amisit, damnata iugo si cæca voluntas
Fatali sub lege gemat. nulla improba pœnas
Expectant meritas facta, & nil vindicis iræ
Frænari terrore iuuat. ridetur Olympus:
Supplicijs decretus iners expungitur Orcus.
Non sic nosse polum docuit longæua vetustas;
Sacrilegos melior tales, nec vertit in vsus
Sidereas supero orbe faces: non intulit astris
Probrosam hanc diuina luem. non præscia rerum
Sensa dedit, nō corda hominum, mentesque nefandis
Imperijs Fati addixit. Melioribus astra,
Et Cœlum coluêre modis: noua sidera Olympi
Oblongo detecta tubo, visusque satelles
Luce Iouis stipare latus: fulsisse recenti
Sidere, cœlestis splendentia guttura Cygni:
Cornutum sinuare iubar, similemque Dianæ
Crescere nunc Veneris plenis sub cornibus orbem,
Et partæ mox lucis inops decrescere cornu
Lunatum: vtrinque est manicati visa figura
Saturni. Quæ pura nitet via lactea Cœli
Sidere sub crebro candescit: visa Gradiui,

Mercurijque suâ censentur sidera formâ.
His seruare modis Cælum si pergis, & astra;
Nullo errore tenes errantia sidera Mundo.

DE AVRO.

PHæbe, parens rerum, Mundi qui præpes Eoi
Occiduiq; plagas lustras, qui tempora cursu,
Et varias das ire vices, qui frugibus annum
Æstiuo sub Sole reples, longeque recedens
Fers hyemes gelidas; Autumni mitior, omnes
Vberiùs submittis opes, & Veris aprici,
Tellurisque caput rediuiuo flore coronas,
Plectendus mihi iure venis, quòd criminis aurum
Extuleris cuncti auctorem; quòd, luce parente,
Tam fœdam dederis subolem, quòd ferrea sæcla
Auratis tuleris donis, quòd diuite partu
Egregios animos censu spoliaris opimo:
Virtutum quodcunque decus fœdaueris, arma
Impia molitum, scelerique ad cuncta nefanda
Damna ministraris vires. non viribus auri
Tu robur conferre queas aliud. tibi, Bacche,
Iam celebrata diù languescent vina, potentes
Quæ strauere Duces. languescet regius ardor,
Imperio qui cuncta mouet. languescere forma
Fœminea incipiet, religat quæ corda catenis,
Et robur quodcunque domat. malè subditur auro
Forma, pudorque cadit, veniat si pondus ab auro.
Cernis vt assurgunt turritis mœnibus arces?
Plu-

Plurima vt obiectu in gyrum lorica tuetur?
Vtq; aditus fossis intercludatur apertis?
Vt tormenta tonent, tereti saturata metallo,
Vulcani paritura faces, magnasque ruinas?
Circuat vt vigili muros noctesque, diesque
Lumine miles? vt exploret custodia longè
Insidias, tectosque dolos? ex ordine turmæ,
Perque vices variæ vt succedant? rupibus arces,
Præcipitique iugo vt nixæ, conamen in omne,
Hostilesque minas stent tutæ? namque patentes
Saxa aditus prærupta negant, munita repellunt
Castra famen, Baccho, & Cereali diuite censu.
Obsidio despecta iacet, spes nulla tenendæ
Obsessæ arcis erit? trepidum depone pauorem,
Spesque auro stet nixa tuo. pugnabitur Auro,
Quàm ferro meliùs: deses custodia donis
Languebit corrupta tuis, flectetur ab Auro
Firma Ducum constantia. feruens militis ardor
Spontè refrigescet, gladij frangetur acumen:
Irrita puluereos edent tormenta fragores.
Stat magè terrificum iaculandum fulmen ab Auro:
Illius radijs caligant lumina. quassæ
Arietis hoc pulsu portæ, limenque patescunt.
Hoc faciles dabit ire seras, aditusque recludet
Claue magis subitâ, atque astu quæsita sequetur
Deditio: indecores Auro referente triumphos.
Nam quîd ego referam pugnaci robur ab Auro
Exertum in miserum fallaci luce Pudorem?
Non vna in censum Danae, celebrata vetustis
Carminibus vatum veniet, quam turris ahena
Irrita conclusit. fuluum mutatus in imbrem
Iuppiter, aurato pretio compressit adulter.

F *Non,*

Non, Eriphyla, tuum narrandum crimen auarum,
Coniuge perque dolum patefacto dona maritum
Aurea, & indigno decreta monilia collo
Turpè tuo, Ogygijs miserum obiecere periclis.
Prisca quîd hæc memoro vatum commēta priorum?
Nunc mage bella Pudor locupleti obsessus ab Auro
Sustinet, & victus spolijs succumbit opimis.
Heu miserāde Pudor! quē frustra inflectere amantū
Vota, precesque queunt; quem non terrere minaces
Iræ, non blandi sensus mollire rigentem,
Non lacrymæ possunt. quem seu suspiria mæstis,
Et querulis cumulata modis, seu nuncia luctus
Littera, & arcanum cordis testata tabella
Flectere desperant donis; succumbis auarus,
Fisque Auro venalis. cuspide vinceris aureâ,
Teque catenatum fulgentia vincla coërcent.
Hoc hamo traheris, locupleti hac protinus escā
Pelliceris, niueusque tuus, candorque pudicus
Iamdudum innocuus, rutilo sordescit ab Auro.
Teque etiam donis corruptam, Astræa, tuemur,
Auroque immemorem recti parēre iubenti,
Depressamque tuam, donorum pondere, lancem.
En tua ferre vides venalia iura, tribunal,
Iudicia atque auro nummoso victa patrono.
Mentis hebent oculi nitidis fulgoribus Auri
Perstricti: neglectus amor, rectique cupido
Exsultat. vnus habet pectus, cordisque recessus
Ardor auarus opum. rectos insistere calles
Cæca cupido vetat. pretium (dominator iniquus)
Iura regit, legesque premit: venundatur Auro
In vulgus quodcunque nefas. fit, teste maligno,
Muneribus capto, damnati vita nocentis

No-

Noxia criminibus vacua: insons vindice pœnâ
Plectitur. armatum scelus omnia proterit ausu
Felici, innixum fulgentis viribus Auri:
Integritas calcata iacet. tibi crimina cuncta,
Obsequijs deuincta tuis seruire laborant,
Orbis tetra lues, fœdisque nitoribus, Aurum.
Hoc inflata tenet ventosa Superbia fastus,
Ambitioque viget. nocuos Vindicta furores
Explet, & infensos iratâ cæde cruentat.
Immodici luxus fuluo cumulantur ab Auro;
Fœda gulæ, ventrisque lues hoc diuite censu
Semper hians, epulis indulget, gurges, opimis.
Ferrea claustra patent: regnant impunè rapinæ
Auro. sacra vides ausu temerata profane,
Et furtis violata rapacibus. obsidet omnes
Latro vias, Auro illectus: vis aurea puppes
Per freta salsa mouet: docuit domuisse procellas,
Æquoreasque minas, ignotaque littora iussit
Ingentes tenuisse rates. ô cerne reposta,
Quæ Peruana sinu tellus defossa recondit,
Atque aperit viuis, tenebrosa nocte, sepulcra!
Hîc videas, inopes lucis, mersosque profundo
Innumeros hominum cœtus seruire nitenti
Auro. flêsse diem, vitam damnâsse tenebris
Imperijs Auri, & dominantis lucis auaræ.
Flectite iam cursum referentes dona, carinæ,
Aurea. deuectum vos contra militat Aurum,
Armabitque rates aduersas. ænea puppes
Iam tormenta parant. ferro sibi vindicat Aurum
Prædator, qui seruat iter, pontumque patentem
Puppe secat rapturâ. ô nunquam, Sole parente,
Hanc tellus dederit subolem, pignusque nefandum!

Pulsa quies Orbi terrarum: bella per omnes
Armatas excîta plagas. te flatibus, Argo,
Exposuitque mari quæsitum velleris aurum.
Quanta tibi, Æsonide, Colchorum regna petenti
Passa priùs pelagi discrimina! quanta laborum
Te excepit moles, tactas post littoris oras,
Auratum vt raperes vellus! superanda Draconis
Peruigil ad limen custodia; prælia tauri
Æripedis multi: Medeâ coniuge tandem,
Indecorique fugâ raptâ, cum vellere castum
Surripuisse decus libuit! quid damna pudoris,
Dedecus atque tuum memorem, Regina, dolosis
Conubijs, falsâque fide decepta? subiuit
Cùm tua regna priùs, Lemnumque intrauit Iason,
Hypsiphile. fœda hæc fuluum vestigia liquit
Quæsitum vellus. tibi nil, Atalanta, volucri,
Pernicique valens cursu, atq;exosa maritos
Profuit, vt fugeres connubia: poma subinde
Aurea, consilijs Ciprijs, astuque Diones
Post tergum proiecta tuum, remorantur euntem,
Teque toro damnant deuictam; sæpè triumphis
Elatam, & Calydonis apri modo cæde tumentem.
Non profecturas iaciunt mea verba querelas:
Aurea damna iuuant: mortalia vota peribunt,
Edere cùm tellus Aurum infœcunda negabit.

HOMI-

HOMINVM ÆTAS, & diſcrimina Iuuentutis, & Senectutis.

SVnt modò natales hominum, atque abdita primi
Orſa ſatus, vitæque tenor, diſcrimina cuncta
Ætatum, fragilis ſenij, viridiſque iuuentæ,
Et ſubolis teneræ vigor, incrementa per omnes
Annorum, vitæque gradus: quo tramite curſus
Natali ſub lege meet, ſeque inferat æui,
Carminibus dicenda mihi. da carmina, Phœbe,
Ad votum quo more ſoles. nam, te auſpice, molis
Impoſitæ decreſcet onus, cæcique receßus,
Te duce, ſe pandent, & tecta arcana pateſcent.
Principio ſedes animis, & corpora, membris
Apta putes formanda ſuis, quæ tempore certo
Mens celſo deducta polo, virtute Tonantis
Edita præcipua, & teneros infuſa per artus,
Occupet, atque animet: naturæ lege parentis
Id poſcente tamen, genitali & ſemine vitæ.
Quis momenta ſatûs primi, prima orſa tenere
Conceptus nunc ritè queat? non ipſa parentis
Viſcera nota dabunt. quîd tu nunc vana locutus,
Aſtrorum quæſitor ages? quîd falſa figuræ
Signa ſequi ſtudeas? venturi ſedulus æui,
Quîd curſum, vitæq; modum, diſcrimina, lethum,
Succeſſus varios, aduerſa & læta, pericla
Euentura canas, & celſum culmen honorum;
Incertis quæſita notis ſpondere labores,

Falsus, iners Vates? nunquam tibi, præscius index,
Conceptus, veniet momentum. plura volenti
Arbitrio subiecta iacent, nec fata gubernant
Astra, vel humanas rapiunt coëuntia mentes.
Sed iam partus auet, reuolutis mensibus, atro
Carcere se solui: maturum pignus ad auras
Natales enititur. en dolor anxius vrget
Materni iam claustra sinus: dant ora querelas,
Lethalisque fluit sudor. succurre gementi,
Obstetrix, facilesque manus ad munera præsta.
Mox genituræ, ne veniant transuersa sub ortum
Deuia membra, necem miseræ laturà parenti,
Natalique suo properent ne funera matri.
Sume animos, enixa parens, mæstumque pauorem
Abijce. maturi venerunt pignora ventris
Felici, post dura, satu. fige oscula nato,
Maternoque sinu complectere. vagit in vlnis
Expectatque tui candentis munera lactis.
Suffice dona libens, tumidis nec parce papillis
Inuidiosa tuis. tanto discrimine latam
Hanc vtero subolem grauido, fœtamque periclis
Longiùs innumeris, alienis deses alendam
Vberibus tribuas! genitrix alimenta ministret
Ipsa suis natis. mores cum munere lactis
Instillet, fœtusque suus succrescat eodem
Robore, quo genitus: varient nec dona tenorem.
Sed tibi iam binos proles adoleuit in annos.
Inspice: durescunt primo fundamine dentes,
Mandentisque valent epulis: depelle papillis;
Et labris admota neges mox vbera. poscunt
Membra magis solidas epulas. & tendere gressu,
Quæ incipient molli, primò vestigia fulcris

Sint

Sint adiuta tuis, vel latis clausa canistris,
Adiumenta ferant quæ gressibus, & pede tecto,
Crure procul teneant lapsûs, & crimina casus.
Tempus idem formanda dabit noua verba palato,
Erudietque sonos linguæ. sit cura præire
Vocibus antè tuis: labentis crimina linguæ
Corripe, vt ad patrios sermones culta laboret.
Hem! positos nuper dentes tenuere caducos
Ora, & in antiquos regressa est lingua labantes
Blesa sonos? trepidant iterum noua verba palato?
Solue metum: crescent iteratis ossibus, imo,
Supremoque noui dentes magc firmiùs ore,
Qui faciles mox verba iuuent, & mandere discant,
Attritasque dapes, stomachi feruore coquendas
Conficiant. genuinum tu caue figere dentem,
Et morsu mordere malo: non vsibus istis
Hunc tribuit natura tibi. mox grandior ætas
Pubescet, mollique teget lanugine malas
Aurea sponté nitens raro velamine vestis.
Hæc studijs formanda tuis, nitidisque colenda
Moribus: hæc ætas vitiorum semina iacta,
Virtutumque fouet. nimio feruescit ab æstu
Sanguineus per membra calor: viget inditus ardor
In venis: rapitur facili per lubrica gressu,
Illecebris stimulata suis. calcaria iungit
Fœda per incautos oculos quæsita voluptas,
Et sua perque aures molitur tela Cupido.
Ad quodcunque nefas aditus patet: obstrue primis
Tentamenta malis: data frangunt otia vires,
Atque animi robur validum. dedisce, Iuuentus,
Hanc pestem, & nocuæ torpentis crimina labis.
Si vigor ingenij, & mentis tibi constet acumen;

Palladio incumbas operi, ſtudijſque Mineruæ
Exercere animum aſſiduis, vireſque labore.
Materies non vna tibi venit apta colendo
Ingenio: multo ſtant cenſu Palladis artes:
Congrua cuique ſuo dabitur formanda labore;
Hunc leges, & iura vocent; Sophiæque receſſus
Illos detineant: radius, doctæque Matheſis
His cultus placeat: plures numeroſa Poëſis
Illecebris iucunda ſuis, metroque canoro
Mulceat, & lauro, dudum celebrata, coronet.
Ne lentus, timiduſque petas tibi munera fandi,
Orator. contende animo: conamen in auſum
Omne tuum felix intendas. palma labori
Iſta tuo tandem dabitur. fit Rhetor ab vſu
Aſſiduo, inque dies vincet ſtudioſa palæſtra.
His ſtudijs languebit iners malè ſana voluptas;
Et Veneris furialis amor. ſi Pallas amico
Te excluſit cenſu, nec pollent robora mentis,
Ingeniumque tenet deſes pinguiſque Mineruæ;
Diuerſas inſiſte vias, atque otia vites,
Artibus incumbens alijs, genioque colendo
Quæ venere tuo magis aptæ. Miles in armis,
Atque acie pugnes, ſi te Bellona canoro
Ære ciet; ſtimulat ſi pectora Martius ardor.
Lucra peregrinas quæras, Mercator, in oras.
Indomitos diſcas duris frænare lupatis
Seſſor equos. lenis plectris inſiſte ſonoris:
Tange lyram: pulſis fidibus praua otia vincas.
Interdum reuocent culti te ruris amores:
Aucupij nec te pigeat, venator, & aude
Exercere feras, & retia tendere ramis.
Et Pictura decet, minioque inducta figuris

For-

Forma coloratis. Nondum tibi flammeus ardor,
Et Veneris periere faces? succumbis amori?
Sit tibi casta Venus thalamis properata maritis:
Indulgere toro ne parcas, coniuge ductâ:
Neue sinas pectus malè sanis ignibus vri,
Et turpi flagrare face. hæc incendia cælebs
Ægrè sustineas: pugnat furiosa iuuentus
Sanguineo feruore calens, victrixq; triumphat.
Nunc quæ conditio teneat diuersa iuuentam,
Et senium, mores varios, variumque tenorem
Exequar, & versu discrimina nota reponam.
O quàm læta nitet iuuenum frons! ridet in ore
Florida pubertas: radios imitata nitentis,
Lumina præfulgent, Solis candore niuali,
Et roseo suffusa genas, præferre iuuentus
Robur amat. stat tensa cutis, læuisque pererrat,
Membra, manusque libens viridis tu tange iuuentæ;
Tactus erit mollis: rigidos non asperat artus
Durities, & sicca caro: micat arduus vltro
Incessus, leuiorque salit. præmollia tactu
Viscera sunt iuueni. quid non parêre monenti
Ingenium quoque molle geras? documenta regentis
Aure bibas facili: iussis demitte superbos,
Inflatosque animos; rectis insistere tendas.
Erectum iuueni corpus, constantia membra,
Atque artus solidi. nimio flauescit ab æstu
Humor aquæ, bilis: præferuidus ardet in imis
Plurimus & venis sanguis, mage concita fœda,
Hic & prõpta magis Venus est. fouet ardua mẽbra
Roscidus infusus succus. per corpora multus,
Et viridis, densusque viget nimiumque tumescens
Spiritus: infracti sensus ad munera perstant,

Inte-

Integrique valent: dentes radicibus hærent
Altiùs infixis firmi, nitidoque colore.
Conspicies per membra pilos: per colla capilli
Diffusi pendent, numeroso crine fluentes.
Grandior est pulsus, venæque frequentior ictus,
Et si quando tenet morbus, mage sænit acutus
In iuuenes. facilem morbo correpta iuuentus
Sentit opem medicam. si quæ data vulnera ferro,
Ocyus obduci videas, subitoque coire.
Et iuuenes rarò guttis pituita caducis
Per nares infesta tenet. Nunc, tarda senectus,
In censum venias. quæ te mala damna fatigant,
Et morbosa lues vexat, mea Musa fideli
Expediet versu: nam nos quoque prona senectus,
Et grauior, properata tenet, ne surgat in iras
Me contra, damnetque meos furiosa labores.
Nam luis in partem venio, membrisque caducis
Detrimenta senum, atque incommoda pigra reporto.
Oppositis annosa malis subiecta senectus,
Et morbis deflenda manet. cutis arida membra,
Et rugosa tegit, frontemque exasperat horror,
Atque oculos rugosus. quid mihi mollia quæras
Corpora, mollesque artus? non secus aspera tactu
Membra senes, scabro quàm cortice robora quercus
Duritiem tangenda dabunt. turpescit inerti
Crure senex, lentoque mouet vestigia gressu.
Inualido priscæ languescunt robore vires,
Genua caduca labant, surgat si flamen in ausa,
Deijciet, sternetque solo, prædura rigescunt
Viscera, sicca arent, veluti decocta caminis.
Cerne oculos terræ defixos, pondere corpus
Annoso curuatur iners: tellure repostum,

Ad

Ad sua iussa patens signat mox stare sepulcrum.
Assiduo trepidant nutantia membra tremore,
Nec stabili sunt fulta gradu. prior ille valescens,
Sanguineusque vigor gelido velut amne refrixit,
Nec venas feruore fouet: per cuncta triumphat
Fluxilis imbre latex, pluuijs pituita pruinis.
Non ne vides fluidis madeant vt fœda saliuis
Ora , per & nares,roranti aspergine , crassus
Mucosusque liquor pluat? horrida tussis anhelo
Pectora succussu quatiens iterata fatiget?
Si quos ferre datur dentes, agitare choreas,
Et saltu trepidare vides: rarescere vallo
Iam patulo, & linguam trepido munimine septam.
Sæpè cauernosum referunt vacua ora sepulcrum;
Ossa sinu, quod nulla tamen tumulata recondat,
Tarda Venus senibus, lentique Cupidinis æstus.
O vtinam nunc vera loquar! nam sæpius vstos
Igne Cupidineo, flammisque nocentibus, albo,
Et niueo sub crine senes ardere tuemur,
Nec nisi cum gelido vitium posuisse feretro.
Vin' etiam iuuenes inter discrimina morum,
Annososque senes referam? mihi sedulus aure
Intentâ, pronâque vaces: affectibus ægrè
Cum senibus iuuenes communia fœdera seruant.
Ora verecundo iuuenes suffusa rubore,
Nec tumidis inflata sonis, dictisque superbis
Verba tenent. animi sensus flexere benigni
Pectora: mollescunt facili præcordia mente
In miseros pronâ, & subita indulgentia tangit,
Calcar agit lateri, & stimulis fodit æmula virtus,
Sed nullo liuore tumens: pia corda monenti
Obsequijs deuincta gerunt. reuerentia cultûs,

Et

Et superûm mage tangit honos. studiosa voluntas
In quodcunque libens rapitur, nec fræna coërcet
Inconstans animus, volucrique simillimus auræ.
Spes iuuenes acuit: fiducia tollit in ausum
Magnanimum: veniunt nec munera parca tenaci,
Et miserâ collata manu. mens indiga recti
Consilij, sed fraude carens, astuque doloso.
Non animo tecti sensus, sed pectus apertum,
Corque patens. magnis voluunt sublimia votis,
Celsaque suspirant. tantùm præsentia curant,
Venturi immemores. veterum piget acta referre
Maiorum: exacti contemnunt temporis æuum,
Laudis & in censu præsens signabitur ætas.
O vbi nunc iuuenum in canam, meritamque senectã
Priscus honos habitus quõdam! meminisse, iunctus,
Te decet officij emeriti, cultusque verendi,
Quem tua conditio poscit. per deuia gressus,
Obliquasque vias vestigia praua vagantur.
Successit roseo nunc frons perfricta pudori,
Soluuntur linguæ temeraria fræna procaci,
Plena venenatis resonant conuicia dictis.
Mos tibi fœda loqui. properè certamina poscis
Mutua. nil exculta tumes, fastuque superbis
Immodico. tauris similis, similisque veredis
Solueris in Venerem. torpentia desidis oti
Detrimenta subis. perierunt Palladis artes;
Ignauumque pecus solâ super ire figurâ
Gestis, hũmanis & corpora vincere membris,
Femineos sequeris mores, & crimina cultus.
Vix super esse queunt varij discrimina sexus.
Nunc, mea Musa, senum perstringãt carmina mores,
Quæ damnanda gerat, quæ turpia tarda senectus,
Qui-

Qui affectus teneant; iuuenum ne sæuiat irâ,
Exsequere, extremoque tuo sit meta labori.
Quæ morbosa senum sibi poscit crimina corpus,
His animos etiam subdi malè sana iuuentus
Inuidiosa putat: vitijs fœdarier æquis:
Sicca cutis referet depulsum fronte pudorem;
Quod nulla in miseros, illos clementia tangat,
Viscera dura monent. lippis signatur ocellis
Inuidus in cunctos liuor: curuantia corpus
Pondera, fixa solo, vota omnia: cura Tonantis
Nulla: tremor trepidis membris infusus in ægris
Mobilis, & fluxæ mentis decreta labantis.
Genua dabunt collapsa metum, pauidumque timorē,
Et digitis contracta manus tibi signa recludet.
Turpis auaritiæ: rugosâ fronte patescent
Calliditas, prauique doli, sub corde latentes.
Obdurata malo sapiet nil tarda senectus.
Consilijs innixa suis, sensuque regenda
Cuncta cupit. monitis fastidia dura seueris,
Morosisque creat: iuuenilia crimina vindex
Increpat, vsque monens; olim grauiora iuuentam,
Haud memor, & peiora suam gessisse malignam.
Sic iuuenes, mea Musa, quibus fauet, ore sereno,
Et plausu sua dicta probat iuuenilia; quando
Florida nunc ætas teneat, similisque iuuenta
In membris vigeat. veniet cùm tarda senectus,
Annosusque labor, sensa his meliora reponet.

AD AMICVM

De labefactata valetudine tristem.

VSque doles, sĕperque nouas dant ora querelas:
Nulla tuis vacua est repetitis questibus hora:
Pectus inexhaustè suspiria crebra fatigant:
Inconcussa quies mentis turbata recessit,
Expertumque animi robur, viresque valentes
Defecêre tuæ. nocuo sic febris ab æstu
Igneus ille vigor periit, penitusque refrixit?
Cum membris iacuêre tuæ fastigia mentis,
Et didicit mollita toro languescere virtus,
Egregio dudum, & nimio durata labore?
Anne tibi insuetū quidquam? quidquā, obuia præter
Euenisse putas? naturæ legibus vnus
Subdere colla neges? quæ nam subducere morbis
Se rerum natura queat? cerne omnia certis
Adscitis elementa malis correpta, tenorem
Ægra suum mutare, suis accessibus angi,
Et febri flagrare suâ. dat terra tremores
Discisso concussa sinu: recludit hiatus
Emissura cauo reuolutos viscere flatus
Æolios; missis donec resupina quiescat,
Et defessa toro nutantia membra reclinet.
An vacat, assiduo concîtum febris ab æstu
Æquor? an à refluo nanciscitur otia fluctu?
Vsque meat, remeatque, ac nullo tempore ponto
Est indulta quies, quin cùm vis indita morbi
Accessu grauiore furit, se tollit ab imo

Impa-

Impatiens fundo, ſpumoſas aggerat iras,
Inſanoſque ciet fluctus. non fræna coërcent
Littoris obiecti, non mollis arena furori.
Vndiuago data meta ſuo. caua littora complet
Murmure terriſono: non ſtratis æquor arenis
Turpè iacet, lentoque fouet ſua membra ſopore.
Æſtuat, inſanit, tumefactas ſuſcitat iras.
Et ventos ſua febris habet: contagia morbi
Aërios fœdant tractus: infecta vapore
Peſtifero lenis aura meat: non ignibus æſtus,
Febriliſque furor parcit: feruere minaces,
Dum loca ſepta tenent, videas & febribus ignes.
Quid ſolare iubar? langueſcit Phœbus Olympo
In medio, patiturque ſuas caligine ſeptus
Eclypſes, radijs morientibus: æger in ortu
Sæpe ſuo vix Sol patet: obſidet atra vaporum
Circunfuſa lues; natiuos ferre nitores
Inuida nec ſinit. ægreſcit quoque Luna caduco
Lumine, perque vices Cœlo morboſa laborat,
Defectu tenebroſa ſuo: nunc cornibus ardet,
Igne rubras ſuffuſa genas: mox pallidus ora
Liuor habet; turpique tegit ferrugine vultum.
Nec vis tecta latet morbi. incrementa pateſcunt;
Decrementa mali ſe produnt: menſtrua morbos
Luna videre ſuos dabit vſque, & crimina lucis.
His etiam ſubiecta iacent, & tempora morbis
Perque gradus annus langueſcit. febribus æſtas
Vritur, & gelidos implorat flaminis hauſtus,
Donaque ventorum, nimio latura calori
Flabile ſubſidium, & facibus paritura leuamen.
Alget hyems gelidis correpta tremoribus. omnis
Illius in venis rigor abditus, igne tepenti

Exitialis amat pelli, viruſque reſolui
Egelidum fibris hærens. ne veris aprici
Florenti vultu, & formâ capiare nitenti.
Forma breuis, roburque fugax: langueſcere flores,
Mox videas, nimio phœbeæ lampadis igne
Tactos, & roſeas fulgenti murice frondes
Deciduas per prata mori. languere liguſtra;
Amiſiſſe decus ſublimi Lilia culmo,
Et totos miſerè populatos veris honores.
Cernis vt Autumnus morborum mole laborans
Vitæ anceps exire paret? iam crine virenti
Exuitur frondoſus apex, folijſque caducis
Spargitur omne ſolum. decreſcit viuidus humor,
Qui folijs alimenta dabat. nunc aſtra querelis
Ægra tibi quòd membra labent, morbiſque laborēt
Immeritis, imple. morbos quid ferre recuſes,
Cuncta pari cùm lege vides languere: nec vllæ
Viribus antè datis, & robore firma potiri?
Immortale decus tibi ſuſtulit auſa parentis
Poma manus decerpere. protinus ægra malorum
Incubuit furioſa cohors. damnata feretro
Ex illo tua membra geris: ſtant ſemina morbi
Viſceribus concluſa tuis: latet abditus hoſtis,
Aſſiduè, qui bella gerat. molimina pigra
Forſitan eſſe queunt; pugnam, ſed certa triumphi
Spes manet. inſidiæ tacitū per membra tumultum
Excîto feruore creant: coniurat in omnem
Perniciem, venis infuſus noxius humor,
Et peſtis morboſa latens depaſcitur æſtu
Si quos humores; reparas tu protinus eſcis,
Materiamque nouam ſæuo indulgere dolori
Vſque libens pergis, tuus hæc tibi prælia ſanguis

Instaurat, vitiumque creat. tu dira nocenti
Sufficis arma neci. deses mors otia ducens
Præsidio stat fulta tuo. te proruit armis
Ipsa tuis victrix. quid nunc te cura fatigat
Irrita, & in morbos questus effundis inanes,
Quos vitare nequis? virtus tibi sola valescat
Atque animi infractum robur. viget inscia morbi
Virtus vna, malique interrita, celsa labores
Perfert, extolletque caput, depressa malorum
Pondere: turbineas spernet pacata procellas,
Fulgebitque magis nigris obducta tenebris.
Ventosis agitata notis velut ardua quercus
Firma magis consistet. fluctu pulsa marino
Saxa velut, scopulique erecto vertice ponto,
Extabit victrix, spumosos tuta furores
Calcabit. percussa silex velut ictibus, ignes
Attrituque dabit chalybis. mucronibus acta
Vulnera, non aliter quàm cæso cortice planta
Balsama pura dabunt. grato fragrabit odore
Thura velut succensa focis. quid robore virtus
Inclita præstiterit, veterum te exempla monebunt
Plurima, quos nondum radijs afflârat Olympi
Dia fides: solus naturæ instruxerat ordo,
Et iusti rectique tenor. cerne inclita mentis
Robora, & aduersæ nil sortis damna timentis
Socratis inuictas vires. non carceris vmbræ
Obduxere iubar, non vincla tenacia præpes
Ingenium vinxisse queunt, non nubilus horror
Contraxit frontem: vultum mutare serenum
Non situs, aut mæror potuerunt. ille venenum
Quo gelidos fontis latices, & fluminis amnes
Impauido ore haurit, mortique hæc læta propinat

Pocula. contemnit ſubiectos Mucius ignes,
Flagrantemque manum victrici fronte tuetur,
Et flammâ fruitur nociturâ. Regulus orbi,
Addictuſque rotæ, ſtabilem ſeruare tenorem
Mentis amat. nec te patriam mutâſſe, Rutili,
Aut natale ſolum credis, longinquus in oras,
Pulſus in exilium dum migras. dextra Catonis
In vulnus generoſa ruit. per membra cruore
Diſſectis venis labente, interritus vndâ
Stat Senecæ vultus mediâ, lymphaque tepenti.
Priſca quîd hæc memoro, & cōſtās in pectore robur,
Sed vacuum virtutis opus, ventoſaque faſtus
Præmia ſola ferens? merito te turba pudore
Fæminea afficiet, numeroſique agmina cœtus
Virginei deuota Deo, quæ merſa profundo
Cæruleum tenuere polum. portumque beatum.
Exuſti hi periere focis; cecidere bipenni
Innumeri: rapidis distracti membra quadrigis
Occubuere alij: ſaxorum mole ſepulti
Hi ad ſuperos strauere viam ſibi. ſecta ſecuri
Corpora nonne vides infeſta, obiecta leonum
Morſibus, Armenijs tigribus data præda voranda?
Cætera quîd memorem ſæuis tormenta tyrannis,
Ingenio commenta truci? lethalis arundo
Stat digitis infixa imis, atque vnguibus hærens
Cuſpidulis, morſu laniat furialis acuto.
Crura trabes compreſſa tenent in fragmina preſſa
Oſſaque comminuunt: fidibus constricta plicatis
Brachia cæſa patent: detractis pellibus, vda
Membra cruore fluunt: vncis patefacta cruentis
Viſcera cernuntur, fibriſque trementibus exta
Cerne venenatis infuſis pocula ſuccis

Hau-

Hausta:torum veluti positas sub corpora prunas,
Membraque tosta focis: præclusis faucibus ora
Immoritura, suo flatu languescere anhelo.
Hos necat vnda gelu nimio concreta niuali:
His fatum ardenti sæuum properatur oliuo:
Et mors dira venit mellitis illita succis,
Corpora nectareo dum sic conspersa liquore
Solarem ad radium, fucis, apibusque necanda
Nuda patent. istis tua cum tormenta seueris
Parua nimis conferre velis? dolor arma pudore
Probroso abijciet deuicta tuus. sibi læta
Dona parata putat, numerosas æquoris vndas,
Illa vocat tormenta: tuas, de fontibus haustus
Censebit minimos ærumnas: ardua summi
Sint oculis conspecta poli: quæ palma triumphis
Stet decreta tuis, & præmia mente reuoluas.
His agitata malis, morbisque exercita virtus
Crescet, & infracto tibi robore dura valescet.
Acriùs in vitia insurget, membrisque caducis
Audax se se animis tollet: nil fœda voluptas
Audebit contra: feret irrita tela Cupido,
Dum morbus sua tela iacit: fastigia fastus
Molitur frustra, dum morbis pressa iacebunt
Ægra toro membra: irarum mox desinet æstus,
Dum febris te sæua suis ardoribus vret.
Nil te luxus iners tanget nil inuidus ardor,
Dum premet ora sitis, non te torquebit auara
Collecto feruore sitis: iactura salutis
Præualidæ, vitæ innocuæ tibi lucra reponet.

DE CATHOLICA FIDE.

DIa Fides dicenda mihi, quæ magna per Orbem
Auspicijs sunt gesta suis, quæ clara triumphis
Innumeris monumenta patent, quibus vna tyrannis
Suffecit tantis, nullis instructa maniplis,
Et quibus ex humili, egregijs se se extulit ausis,
Spreta priùs, dein victrici calcare superbum
Ausa hominum ingenium vi: regia sceptra potentum
Imperijs superare suis, mentesque rebelles
Mollire, & iussas aures parêre iubentis
Dictis, & cæcos Fidei post ducere gressus
Captiuum mortale genus. mihi nullus Apollo
Inspiret carmen Vates: tua lumina Phœbe
Sint modò pulsa procul: tenebrosæ noctis amictu
Stat velata Fides: nostris obtutibus ambit
Abdere se, & sacro vultum celare recessu.
Nil opus his oculis. solers fuge mentis acumen,
Elatumque cadas: vana argumenta relinquas.
Præpetis ingenij celeres sub lege volatus
Dia Fides posuisse iubet: vult illa patenti
Sedulus aure vaces, penito sub corde recondas,
Numine quæ mandat dictis credenda magistro,
Non vllis fucata dolis. mendacia nulla,
Per transuersa trahent te vnquã, stant nixa loquẽtis
Voce Dei, quæ arcana tuas allapsa per aures,
Non vanis signata notis, proponit Olympus.

Tu modò da facilem mentem, sit prona voluntas
Obsequio; dictis non duris auribus obsta,
Obstrue non aditus arcani pectoris. ausu
Non se dia Fides menti, crebroque tumultu
Insinuat, sed molle solum, terramque subactam
Seminibus cupit illa suis: compescere frænis
Lenibus, & faciles inflectere gaudet habenas.
Mitiùs acta suos vrgent calcaria cursus.
Illa leues animos, instarque volubilis auræ
Respuit, & dubijs mentem te subdere dictis
Cauta vetat. Vatum quæ certa oracula pandunt,
Quæque probata diu tibi sacra volumina signant;
Et quæ Romuleâ spectandus in Orbe tiarâ
Augustus, summusque pater, discussa senatu
Purpureo, doctisque viris, credenda per Orbem
Edicit, firmeque iubet. quid vana locutum
Veridicum per cuncta Deum, sancteque fidelem
Ancipiti tu mente putes? aut impius audis,
Aut vecors. quem nulla latent, nec falsa profari,
Nec, cui sancta placent, potis est te fallere dictis.
An quæ Roma iubet credenda; inuisus Olympo,
Numinis ætherij nunquam patefacta loquentis
Prædurâ ceruice tenes, deuotus Auerno,
Et stygio, sine mente, Duci? argumenta loquentis
Nulla ne certa tibi veniunt per plura; rebelli
Restiteris ni mente, animumque aduertere certis,
Queis Fidei stat fulta notis, quo robore constat
Conditio si rite velis? nunc auribus adsta,
Et docili dicenda mihi sub corde recondc:
Hæc tibi non vanæ Fidei argumenta ministrant.
Christiadum tenor immotus: numerosa per Orbem
Sæcla diu tenuiße locum: creuisse laborum

Incremento; egiſſe ſuas mage firmiùs altas
Radices, concuſſam, iactatamque procellis,
Turbinibuſque Fidem obiectã,merſamque profundo,
Incolumi emerſam portum tenuiſſe carinâ.
Quid memorem exilia? & gentẽ ſua iuſſa colentem,
Orbe vagam toto,nullis terroribus actam,
Non vllis ceſſiſſe minis, ſpreuiſſe furores,
Succubuiſſe malis nullis, domuiſſe catenas,
Atque hilarem viciſſe ſitus,& carceris vmbras?
Huic etenim Fidei, cœleſtia iuſſa ferenti
Subdere colla neges? naturæ legibus vnam
Conſentire vides, rectæ quæ congrua menti,
Et quæ turpe nihil redolent,documenta per omne
Humanum vulgâſſe genus. te ſubdere mentem
Rite ſuis dictis ſuadent patrata per Orbem
Prodigia, inuerſus naturæ legibus ordo,
Emeritam teſtata Fidem. conſpirat & omnis
Sana hominum ſuboles,mores odiſſe nefandos,
Qui Fidei ad normam degunt. tot cæde cruentas,
Horrendaſque neces,teſtantes robore pignus
Hoc Fidei nunquam violandum. proſequar hoſtes
An Fidei,toties meritas pro crimine pœnas
Perpeſſos, & Cœli irato fulmine tactos?
Nam quid pigra refers Fidei mea Muſa triumphos,
Totque per omnigenas gentes erecta trophæa?
Vana ſuperſtitio, tibi nil penetrâſſe receſſus
Extremos Orbis, diſiectaque regna repoſti,
Atque plagas mundi ignotas, penituſque latentes
Profuit: alma Fides rapidis pernicior Euris
Æquoreas ſuperare vias,pontique minacis
Ingentes tractus, coniurataſque procellas
Vincere: telluris magnæ ſpatia ampla, per omnem

Euro-

Europã, atque Asiam, Lybiam, Scythicosque furores
Atque Afrum, sine lege genus, Garamãtas, & Indos
Est lustrare potis. sed quæ tunc gentis Eoæ
Non vllis imbuta sacris lex? barbara morum
Conditioque ferox populorum, lucidus Orbis
Vicino sub Sole calens, cœlestis egenus
Lucis erat, radijs nullis afflatus Olympi,
Lumine nec dio: face nullâ Numinis: igne
Ardebat nullo sacro: data præda furori
Tartareo: stygijs deuotum manibus omne
Degebat mortale genus: simulacra vapore
Thuricremo & dio cultu turgebat Auernus.
Cæca superstitio cunctos inuaserat: aras,
Templa Ioui stygio substruxerat: hostia Diti
Cæsa litabatur, ritu execranda profano.
Sacrilegis deuota focis fumabat acerra
Impia. mendaces diuinos cura fouebat
Sedula, & innumero ditabat prodiga censu.
Cuncta regebantur vanis sub sortibus: omnis
In fibris, extisque inerat labor irritus: omnis
In volucrum cantu seruando, & præpetis alæ
Cursu consumptus: magicis infecerat Orbem
Vana lues totum artibus. heu! sic prona ruinis,
In miserum reuoluta chaos, stygiumque profundum
Gens hominum patrio sese rapiebat Olympo.
Vt se dia Fides tamen intulit, vtque reposta,
Sed certis signata notis arcana Tonantis
Cœpit amans euoluere: sese vt mollis in aures
Infudit sermo, & vocem nouere loquentis
Numinis; ô quæ mira vides! mollita liquescunt
Pectora dura priùs: sensus flexere rebelles
Indomita ingenia: insistunt melioribus ausis

Mentes, iamdudum cæcis erroribus actæ.
Dediscunt vitæ scelerum malè facta prioris,
Et cultu suadente pio, dominata per Orbem
Vsque superstitio, exul pellitur. audit Olympus
Vota, precesque sacras: stygio deuota tyranno,
Emeritis damnata focis simulacra cremantur.
Fana ruunt deiecta manu, ritusque nefandi
Exosi pereunt. thalamis operata malignis,
Et multis incesta Venus, detruditur Orco.
Abstinuere manus furtis, odere rapinas:
Impia nulla sonant falsis periuria linguis:
Cæde vacat sitiens effusi sanguinis ira.
Æmula muta silent iactis conuicia dictis:
Innocua immeritis non probris fama laborat.
Stat iurata Fides dictis: mendacia nulla
Subdola verba tegunt: desertæ corde latentes
Insidiæ, nullusque dolus deceptor amicum
Prodit, & ingenui seruantur fœdera amoris
Mutua: non tacitis odijs vrgentur iniqua
Pectora: non liuor tabescens inuidus vrit:
Non tumor iratos ventosus suscitat ignes;
Abiectos non fastus amat calcare superbus:
Ambitio depressa iacet: refrixit auarus
Ardor, & immodici periere Cupidinis æstus.
Vna Fides cordi insidet: vnis nutibus ambit
Illius gens cuncta regi: cuncta ardet Olympi
Iussa sequi innocua, & certis insistere dictis.
Cernis vt è pario consurgant templa Tonanti
Marmore? vt artificum latè labor inclitus, Orbem
Per totum, in meritos supplex desudet honores
Numinis? en Fidei dictis instructus Iapon,
Et sacris lustratus aquis, dediscit auita

Nu-

Numina: mollis Arabs supponit colla catenæ,
Et leue portat onus: duros mollire furores,
Sæuitiemque ferox Scytha cœpit: fœda voluptas
Deliciæque inuisæ Persis. magna recenses
Carmine tam tenui, mea Musa? & parca triumphos
Sic memoras Fidei? libeat penetrare recessus,
Et nemorum Ægypti loca vasta: hic abdita syluis
Te Fidei gens lecta manet: populosa per vrbes
Non sic turba frequens degit: respondet ab imis
Syluarum latebris, iteratis vocibus echo
Iugiter effusis precibus: caua saxa resultant
Hymnorum percussa sonis: fraudata sopore
Lumina peruigiles ducunt insomnia noctes:
Continuata diu tenuant ieiunia corpus:
Liuescunt pallore genæ: cutis arida sicca
Ossa tegit sulcis, & crebris obsita rugis.
Obduxere altos curuato poplite callos
Genua solo defixa. oriens aspexit eoo
Lumine, quos Phœbus morienti luce reliquit
Orta polo lacrimis effusis astra tuentes.
Et si quando sopor fessos irrupit ocellos
Inuitosque artus pressit; tenuere iacentes
Saxa solo præduro: errantes fluminis amnes
Collectam pepulere sitim: suffecit in escas
Palma virens fructus, sectis radicibus herbæ.
Nunc aliò flectamus iter, mea Musa: repostas
Mecum adeas latebras audens, penitosque recessus.
Quid trepidus te terror habet, gelidique pauores
Pectoris ima tenent? subitus defluxit in ora
Funereus pallor! lanienæ læta recessum
Intres: hic nobis Fidei spectanda trophæa
Grata magis veniunt, quam conspicis illa, Tyrannis

Sæua, minax, regnans est lumina dira rubescunt
Tartareâ succensa face: it furor impius, omnes
Per venas diffusus: pascitur ira medullas
Totas sanguineas: voluunt præcordia cædes:
Pectora virus alunt: lethali corda veneno
Noxia plena tument: rabies se tota per imos
Eumenidum violenta sinus infudit, & omnes
Ferales Erebi pestes socialia iungunt
Arma, facesque mouent. frendent vt dentibus atra
Ora vides rabidis? spumoso vt labra furore
Oblita terrifico minitantur murmure cædes?
Cerne cruentatam stillanti sanguine dextram:
Sceptra cruore natant: perfuso serta cruore
Fœda rubent: solium fœdè fluit amne cruoris
Innocui. nunc verte oculos, & dira tuere
Instrumenta necis. flammas hinc cerne rogales,
Ardentesque faces, numerosas cerne bipennes
Ceruici intentas; numerosas cerne secures,
Et laqueos, gladiosque vide. ô quæ immania saxa
Mox collo nectenda parat, queis mersa profundo
Corpora pressa ruant! quîd stagna algentia lymphis
Concretis, durata gelu, glacieque niuali
Aspicere inde negas? quîd feruescentis oliui
Plenaque sulphureo gliscentia abena liquore?
Ore inhiant tygres patulo, libycique leones
Hinc morsus, vnguesque parant. stat plurimus anguis
Inde venenato, & lethali vipera dente.
Hæc necis instrumenta Fides, interrita vultum,
Spernit amans: pressis retulit generosa triumphos
Innumeros, roseas victrici cæde phalanges
Cælituum censu adscripsit, transmisit Olympo.
O quæ læta meo species nunc gratior ori

Se

Se pandit, niueosque sinus præferre superbit,
Et niueas præferre genas, nulla edita fastu!
Non æquanda suo venient candore ligustra,
Non elata suo, sublimi lilia culmo.
Ipsa minùs Cœli vel lactea semita candet,
Candoremque Aurora suum submittet Eoum.
Egregium, hæc, Fidei pignus, subolesque verenda
Candida Virginitas est. quis tenet ora pudicus
Ingenuusque rubor? placidi qui frontis honores?
Nec fucata dolis vllis formosa venustas
Conspicienda venit: compescunt fræna solutos
Obtutusque vagos oculorum: verba loquentis
Lege pari moderata sonant: non crimine cultus
Quæsiti, species natiua nitet: rubor ori
Inditus, & candor commendant inclita formæ
Munera; sed formam subducere certat ocellis,
Virgineumque decus cupidis. non asper honestat,
Sed mollis, lenisque rigor mores: cupit illa
Nusquam oculis occurrere. prælia casta repellunt
Illecebras, Venerisque dolos: calcata voluptas
Languet, iners, mollis, fractique Cupidinis arcus
Ante pedes, & tela iacent. incendia flammæ
Nulla calent nocuæ, nec sæuâ cuspide telum
Idalium sua corda petit. mens ima refugit,
In patrium defixa polum fulgentis Olympi,
Vnde refert pudibunda satum: stat lacteus orbis
Illius ante oculos: illic sua vota reponit.
O quantam, Fidei subolem, hæc innupta Virago
Pignora casta dedit! quid nunc mea Musa moraris
Vestales censere sacras, ædesque pudicas
Carmine complecti? Fidei veneranda trophæa,
Casta puellarum, specie, formaque decora

Agmina, connubijs ſpretis, tædaque iugali:
Exoſiſque viri thalamis, lectiſque maritis,
Virgineos legêre lares, ſecuere capillos:
Suſpendêre tholo victâ de Cypride crines,
Et caſti poſuere ſui monumenta triumphi.
Non illas flexere preces, non vota petentum
Connubia, & thalamis affines iungere nexus.
Præpoſuere toris, numeroſâ ſtirpe replendis,
Ætatem fœtu ſterilem, ſeiuncta maritis
Annorum ſpatia, & viduatam ſanguine prolem.
Deſpexere minas: certi diſcrimina lethi
Impauidæ vultum ſubiere: neceſque cruentas,
Quàm niuei malunt diſpendia ferre pudoris.
Sed quæ turba frequens calamis operata magiſtris
Ante oculos abiecta meos mea carmina poſcit?
Cernis vt inſudet docto indulgere labori,
Et vigil in noctem aſſiduè impalleſcere chartis
Incumbat, renouetque ſuum ſtudioſa diurno
Tempore mentis opus, doctaſque ad bella miniſtras
Ingenioſa manus ſtimulet? deuota tuendæ
Hæc Fidei generoſa cohors, inſtructa maniplis,
Munere palladio certat: conſpirat ab Orbe
In Fidei obſequium toto, ſtygiaſque phalanges,
Et capita hæreſeos, furialis verticis Hydram:
Cuſpide quos ſternit calami, quos Græca Gradiuos
Extulit ingenio celebres, quos Itala tellus,
Quos Hiſpana dedit, mentis durata labore,
Gallorum & gens viuida; quos tulit inclitus ardor
Orbis hyperborei Germanus: quos tulit Afra
Pugnaces tellus. fracti cecidere minaces
Pelagij fluctus; Romanam mergere puppim
Conati. cæſus Manichæus concidit error,

Aure-

Aureli calamo stratus. nil viribus, Arri,
Fide tuis: stratæ vires iacuere pelasgo
Marte tuæ. Clio, viden'vt latet ille cucullo
Sub tetro, & trepidos vultus auertere tentat
Incestus mysta, & Romanæ transfuga legis,
Sacrâ olim sub veste litans; desertor iniquus
Saxoniâ de gente satus, castrisque Tonantis
Adiectus quondam Lutherus? pestis Auerni
Tartareique lues Erebi hæc est. crimen in omne
Indignumque nefas præceps, reuoluta per omnem
Perniciem Fidei. flammis arsere triones
Incestis facibusque suis. Germana propago,
Natiuas consueta niues candore referre,
Labe suâ fœdata, à cultu flexit auito,
Romuleamque Fidem abiecit; peregrina secuta
Dogmata, non vllo Fidei seruata patrono,
Impia, criminibus fœdè cumulata nefandis,
Laxatæque fores Veneri. sublata iubentis
Legiferi mandata Dei, meritoque labori
Præmia nulla fore, inque Deum sua cuncta referre
Crimina vt auctorem scelerum. mala pestis in orcum,
Et Stygium deuota rogum, dabit impia pœnas
Supplicio damnata pari, Furiæque minaces,
Quas dudum coluit, furiali terga flagello
Corripient: Fidei desertæ vindice flammâ
Vltrices venient, & nunquam parcere iussæ.
Quîd mea Musa tuis dudum rimaris ocellis,
Illiusque cupis deiectos noscere vultus,
Ignotosque tibi fœdi post terga latentis
Lutheri? hic etenim contagia sæua per omnes
Gallorum populos fudit Caluinus; & omnes
Infecit miseros lethali labe Britannos,

Eru-

Eruta tartareis Furiarum tetra latebris;
Virosis lethale caput crinita colubris,
Ausa venenatam latè diffundere pestem
In Fidei exitium. solers hic ille magister
Inuentorque sagax scelerum. munitus ab omni
Arte doli & validâ populares fallere mentes:
In facinus quodcunque ruens, Venerisque nefandæ
Mancipium: meritis signis, ob crimen, inustum,
Stigmaticisque notis. ne nos, mea Musa, Melancthon
Detineant, socium monstrum. sint fœda Buceri
Nomina tecta mihi. Chemnitius ore silenti
Sit mihi præteritus. cuncti nunc hostia Diti,
Æternusque rogus flagrant. deuota caminis
Tartareis stygios augent sua nomina fastos.
Quique Fidem solido nixam fundamine, casu
Vrgere in præceps ausi, tenuere profundum,
Nec surrecturi inges senfere ruinas.

LEVIA CRIMINA
Non spernenda.

SIc tenues, noxasque leues florentibus annis
Neglexisse iuuat? vitæ hunc seruare tenorem
Nil refugis? scelerum dubios insistere calles.
Pergis adhuc malè cautus? detrimenta malorum
Nulla tibi grauiora times, contemptor iniquus
Exigui lapsûs? non vllo examine pensas
Crimina, nec noxæ trepidus momenta reuoluis?
Principio nullus culpæ reuolutus in imum,

Et

Et casu grauiore ruit: vestigia lapsûs
Mollior ante tenet: faciles per lubrica gressus
Ire dabit crimen leuius: mox ilia mordens
Calcar aget grauius: laxatis curret habenis
In præceps, tractis renuens parêre lupatis.
Mollit iter sceleri scelus: incrementa nocendi
Aucta lues sensim capit, & mala semina morbi,
Indita parua priùs, vitijs exculta malignis
In nocuas, magnasque dabit consurgere messes.
Est & in exiguis vis noxia: grandia, paruis
Sæpe malis abstrusa latent. Quid cernere lentus
Pulueris exigui nitrati grana moraris?
Ille suo quantam labem, pestemque recondit
Tartareo gremio! stygios sudâsse caminos,
Atque Erebum totum credas sociâsse labores
Huic operi intentos. horrendæ semina flammæ
Intus alit puluis, pariturus protinus ignes,
Sentit vt admotam succensâ è reste fauillam,
Perque gradus non ille faces succendet, & atram
Deses aget pestem; primis natalibus ortus,
Magna ferox in damna gigas consurgit, & omnem
Materiem exitio inuoluit: quatit omnia latè,
Assultuque ruit. videas hoc igne doloso
Puluereo, in latebris tecto, penitusque reposto,
Cùm semel erupit, vulcàniaque arma repentè
Extulit, ex imis deiectas mœnibus arces,
Excussasque pilas veluti, volitare per auras
Turres; propugnacula puluere quassa, ruinas
Ingentes, casusque dare, euersasque iacere,
Æquatasque solo vrbes: omnia strage furentis
Pulueris exigui vi lapsûs ferre caducos.
Fulmina quid memorem? leuis halitus ignea cóplet

Visce-

Viſcera, perniciem flammis genitura triſulcis.
Hac iuga celſa cadunt, confracto vertice, tacta
Fulmineâ ſine lege face: hac in fragmina rupes
Horrendùm ſciſſæ. quid terræ cernere motus
Lentus aues trepidæ? dabit hæc ſuccuſſa fragores
Terrificos: feriet mugitibus æthera cæcis,
Conceptam paritura luem: nutantia regna,
Oppida, camporum ſpatia, & nemoroſa caduca
Teſqua vides: tellus dorſo reſupina trementi
In præceps vrgere parat cuncta. halitus arcto
Viſcere concluſus paruus, tenuiſque vaporis
Aura means dabit hæc ingentia monſtra malorum.
Non ego turbineas iras, ventoſque furentes,
Non maris æquoreos fremitus, cœlique procellas,
Non ſonitus pluuiæ imbriferos, nubeſque tonantes
Proſequar. his cunctis laxat ſua fræna volucris:
Hos leuis aura ciet. neſcis quæ damna fatiſcens
Paruula rima rati creet? indeprenſa carinis
Cæca latens, tenui modicas bibit ore marinas,
Æquoreas, & ſorbet aquas priùs: inde refuſos
Paullatim fluctus haurit. ſua viſcera pinus
Mox pelago infuſo toto, turgentia ſenſit
Admiſſa ſuperante freto. deſidit in imum
Pondere preſſa ſuo tandem, & iacet obruta fluctu.
Temnitur accenſo abſiſtens leuis igne fauilla:
Illa tamen paleas, & pabula nacta voranda
Opportuna focis, incendia ſæua repentè
Excitat, & flammis errantibus omnia vaſtat,
Sẽper hians, sẽperque vorax. nemora alta cremãtur:
In cineres ſyluæ ſoluuntur: paſta fauillis
Tecta ruunt: magnæ, populatis mœnibus, vrbes
Exitio dantur: ponit nec flamma furores,
Exple-

Expletura famem, donec consumpserit igne
Cuncta, rogumque vnum, & fumãtia rudera linquat.
Sed modò carmen aquas adeat, redeatque liquentes
Neptuni ad campos. minimis an magna reposta
Vis lateat dubius nutas? vada salsa volantem,
Perque fretum tu cerne ratem: stant vela secundis
A tergo tumefacta notis: dant æquora cursum
Flaminibus facilem crispata: secat leuis vncta
Pinus aquas: gaudet fluctus calcare rotatu
Veliuolo, & victo sibi subdere Nerea ponto.
Sed liquidum dum currit iter, celerisque carina
Æquoreas turrita vias præteruolat; imis
Mox hærens costis Echenæis parua, moratur
Ingentem complexa ratem: nulla anchora morsu
Sistere præpes iter potis est, quæ flamina contra,
Inflatosque sinus, & vela fugacia, paruus
Squamigeros inter, piscis remoratur euntem
Mole ratem ingenti compactam: talia monstra
Crimina parua dabunt neglecta, admissa frequenter,
Sollicito nullo tangenti pectora morsu:
Nec retrahente leui despecti Numinis irâ:
Quique priùs lateri calcaribus ardua, cursu
Adiectis veluti, facili virtutis & acri
Ire super poterant; lento vestigia gressu
Pigra mouere queunt fessi vix: torpet amicum
In Superos studium; languescit viuidus ardor,
Et dius pietatis amor, curæque salubris.
Spernere pergis adhuc minima, atq; auertere damna
Exiguis illata malis? perpende podagræ
Detrimenta pigræ. tenuis suffusa per artus
Gutta: per arcanos membrorum flammeus humor
Articulos modicus delapsus, noxia membris

Quæ tormenta parit! vigiles quas ducere noctes
Cogit! quos oculis lacrymosos elicit imbres!
Corpore nulla quies immoto: morsibus ora
Vsque doloriferis cruciantur: tangere membra
Ægra nefas miseris: torret sitis arida fauces.
Quid febres memorare queam? malè concitus æstus
Exigui in venas humoris fata minatur,
Perniciemque creat. quid vocibus astra fatigas?
Infixus lateri tibi calculus ilia mordet
Paruulus. ille necem subiit, citò corda pruinâ
Deciduâ è cerebro paruâ irrumpente: volucris
Cuspidis hic apis ictu funera dira recepit:
Sternuit hic moriens, moritur dunque oscitat alter.
Funerat hunc potûs leuior: compressus in ore
Halitus illum alium abstulit. edita grandia paruis,
Damna quis enumeret? constabit cursus & idem,
Criminibusque tenor paruis. peperere ruinas
Sæpe leues causæ ingentes, expertaque virtus
Longa diu cecidit ludicris concita nugis.
Quid leuius iactu est oculorum? semina flammæ,
Idaliasque faces oculi peperere tuentes,
Queis succensa rogum senserunt pectora, & omnis
In cineres abiit pudor. en leuis editus ore
Incautus sine lege iocus certamina poscit,
Dira mouens ad bella manus: nec cuspis ab ore
Iacta modum ponet, gladij ni certet acumen,
Diluat & fuso nugantia verba cruore.
Vtque inclusa parit lymphis leuis aura tumores;
Maxima sic minimis consurgunt prœlia dictis.
Heu caue criminibus pectus concedere paruis:
Nam seruare modum modicum scelus abnuit. hostis
Assiduis vrgens bellis, viresque fatigans

Ad-

Aduersas tandem facilis victorque triumphat.
Sed cur hæc scelera, extenuato nomine, parua
Cur spernenda putas? culpam quæ pœna sequatur
Ante oculos obiecta tuos verſetur. ab igne
Decreto torquenda venit: nec plurima ſæpe
Sæcula ſufficiunt, meritis, pro crimine, pœnis,
Supplicijſque diu, decretâ lege luendis.
His animum aſſiduè monitis, mentemque gubernes:
Sic tua culpa leuis, tibi pondere creſcet amico.

GENERIS OBSCVRITAS non ægrè ferenda.

SOllicitat te cura tui natalis, & ortus
Stirpe ætatum tenui: mæres, quòd grandia gẽtis
Nomina nulla tenes: titulis ſpoliatus auitis
Quòd nullo ſplendore micas, quòd nota vetuſto
Sanguine ſit nuſquam generis vulgaris origo,
Atque humilis fortuna domus: quòd pendet imago
Nulla nitens fumo: ſeries quòd fulget auorum
Nulla domo ſuſpenſa tuâ: quòd diuitis auri
Non priſcas anguſtus opes, gazaſque paternas
Tu numerare queas: naturam plectis iniquam,
Fortunamque probris cumulas ſine lege malignam.
Senſa animo non digna tuo, mentemque ſiniſtram,
Neglectâ virtute, geris. non ſanguinis ortu,
Non titulis, claræque domus inſignibus aucta,
Faſcibus aut priſcis ſplendens, ſellâque curuli
Nobilitas ſpectanda venit. ſi ſæcula cenſu
Diſcutias, actoſque retrò numeraueris annos,
Annaleſque legas; quæcunque eſt ſtirpis origo,

Sustinuit mutata vices. non vlla, recedens,
Quæ nunc pressa iacet, Regum non proferet ortus,
Et sceptris insignis erit. quæcunque coronis
Et regnis nunc clara nitet, si sæcula voluat
Ætatesque memor veteres studiosa requirat;
Retrò suum inueniet fabrum, rurisque colonum
Infelix contempta diu. communis origo
Est cunctis, cunctique vno sunt sanguine creti.
Præbet idem Natura genus. Fortuna reuoluit,
Numinis imperio parens, versatilis Orbem,
Alternatque vices generis, stirpemque caducam
Euehit ad culmen: subuectam deijcit alto
Culmine, & ignotam plebeio sanguine miscet.
Vt similem Natura satum, lymphæque fluentis
Fluminibus tribuit natales; non secus ortûs
Humano tribuit generi. torrentia ripis
Imperiosa fluunt quædam; quædam indiga lymphæ
Flumina decurrunt: videas tamen imbribus aucta,
Quæ tenui fluxêre diu per gramina riuo
Vndarum accessu, tumido decurrere fastu,
Et liquidas campis armare ad bella cohortes.
Contrà, quæ dudum fastu tumuêre superbo,
Et reuoluta ingens duxerunt agmen aquarum,
Secta vel in riuos, hausta aut telluris hiatu,
Amisisse decus; nomen tumulásse sub vndis.
Haud aliter primo Mundi nascentis ab ortu,
Nobilitas cursu vario mutata per Orbem,
Annorumque diu spatijs labentibus, vnà
Diuersos subijt casus, hominumque tenorem
Sæpe per ancipitis duxit discrimina vitæ.
Diuitijs nunc aucta nimis, splendore refulget;
Mox censu contracta breui sordescet in vmbris.

Sce-

Sceptra olim gestabat auus? spoliatus opimis
Turpè nepos regnis, curuo damnatur aratro,
Et bobus sua rura colit. Fortuna reuoluit
Orbem alijs mage felix, & quæ ignota latebat,
Indecori tumulata situ, fœdisque tenebris,
Erexit domus ima caput: fastigia regni
Celsa tenet, sceptrisque potens dominatur in Orbem.
Non hæc vana sono, & ventoso turgida fastu
Nobilitas censenda venit, subiecta malignæ
Casibus aduersis Fortunæ: nomen inane
Et vacuum virtute decus: traducta per ortûs
Maiorum, & nullo proprio quæsita labore,
Nixaque iudicijs hominum fallacibus: illa
Nobilitas quærenda magis, quæ robore mentis
Constat, & egregios animis fert inclita mores,
Virtutum splendore nitens: non fumida pictis
Splendet imaginibus, censumque exponit auorum.
Hanc non tempus edax rapiet: non sorte malignâ
Deficiet: tecumque feres quocunque per Orbem
In longas libet ire vias: spectabit & omnis
Te quæcunque plaga, & Mundi tenet abdita tellus.
Nulla inopem te cura premet: melioribus ibis
Diuitijs animum locuples: natalibus imis
Eripiet virtutis apex. abiecta iacebit
Conditio non vlla domus, vbi fœdera virtus
Inconcussa tenet. clarescit fama Cleanthis,
Nec sopita vnquam delent obliuia nomen
Immortale viri: nullis hic fascibus auctus;
Splendida nulla illi venit natalis origo,
Nec ditis fortuna domus: deducere riuos
Per sulcos didicit; deductis fontibus, hortos
Fœcundare satu: terræ plantisque colendis

Duratas aptare manus: tamen inclita virtus
Et vitæ studium melius, moresque decori
Atque diu ad tenuem sapientia parta lucernam,
Illustrem fecêre virum, celebremque per Orbem.
Stirpe satum clarâ non vulgat fama Platonem;
Non vllos iactabat auos, non stemmata gentis
Euexêre decus, non alti sanguinis ortus,
Sublimesque domus fastus: ignobile stirpis
Nomen erat: fecit diuinum splendida virtus:
Non reperit, generi claros dedit vnus honores;
Accepit nullos traductâ à stirpe parentum.
Nam quîd ego memorem non vllo sanguine clarum
Diogenem, assiduo versantem dolia gyro,
Perque vias solitum secum portare volutam
Impluuiamque domum? Macedo suspexit euntem
Dolioli in latebris. frustra Fortuna minacem
Imperiosa rotam voluebat: spreuerat intus
Ille minas omnes, virtutis robore fultus,
Atque animo semper stabili reuolutus in orbem,
In tenebris mentis radios afflabat honoros.
Nobilitas virtute vacans consurget in omne,
Contemptâ virtute, nefas: calcabit iniquo
Subiectos fastu miseros ceruice tumenti:
Ire supra cunctos ambit: laxabit habenas
Omnes in Venerem: discet sæuire cruenta,
Et cædes patrare manu: securus ab auso
Virgineus non vllus honor. si census iniquis
Redditibus desertus erit; cumulare rapinis
Audebit furiosa manus: per cuncta recurret
Luxus iners: lautas epulas studiosa requiret,
In ventrem deuota suum. percurre vetustos
Nobilium fastos, & Regum disce potentum

Vi-

Vitas, nulla quibus virtutis cura colendæ;
Vna viget scelerum, meritò damnanda sepulcro,
Fama memor: clarus sanguis, sed fœda per Orbem,
Et vitijs animata suis monumenta supersunt.
Nobilitas maculata probris sua probra relinquit
Posthuma, & in cinerum conuicia lingua laborat.
At quæ nobilitas meritâ virtute refulget,
Illius generata satu; non fluxilis æuo
Olim intercidet, aut celebris præconia linguæ
Laude vacans optare queat: spectabilis Orbe
Quæ vixit; meritas laudes post fata tenebit.

NVLLVS VERITATI LOCVS.

QVid me, Phœbe, velis, sinceris edita terræ
Quærere verba sonis? iamdudū pulsus ab Orbe
Exul abest Veri candor: mendacia fœdis
Obsedere probris nedum commercia gentis
Atque hominum subolem; res cunctas crimina falsis
Compleuêre dolis: faciei ludit imago
Deceptura oculos: aliud tibi fronte patescit,
Atque aliud sub fronte latet. percurre labores
Egregios artis quoscunque: intentus in omne,
Quod solers excudit opus dextra, arte magistrâ,
Fige oculos; tectæ mendacis crimina noxæ
Inuenies, falsasque notas, fraudesque latentes:
Cuncta dolos factura tibi. non vlla tuenda
Ars veniet mentiri nescia. plectimur ipsi
Ante omnes tua progenies, tua pignora, Apollo,
Castaliumque genus. te primum, Phœbe, dolosis
Supposuere notis, laruis texere Poëtæ,

Teque tui vates miserum fecere bubulcum,
Ducentemque boues ad pascua. Quid tua mater?
Quid tua casta soror mendaci prodita linguâ?
Ipsa Ioui patri mendax nec lingua pepercit;
Nec reliquis impunè Dijs commenta Poësis
Ire dedere: suis cumulauit fabula probris.
Et te mendacem nostræ, Pictura, Poësis
Affinis, tua facta probant. inducta colorum
In tabulas species oculis figmenta ministrat,
Non vno lusura dolo. stat summa tabella
Planitie porrecta suâ, tamen illa recessus
Introrsum refugos, excisque sepulta latebris
Et siluas longè positas; pendentia saxa,
Montanumque iugum, sublato vertice, rupes
Excisas de monte dabit: dabit ille cauernas,
Et dabit vndantes superantia flumina ripas;
Expictisque hominum dabit extrà membra figuris.
Et Sculptura dolo pariter te ludet eodem,
Et simili fraude imponet: mendacia templis
Nonne inducta vides? pario de marmore crustæ
Egregio splendore nitent: nitet abditus intus
Tophus inops. solido argento simulacra refulgent
Ficta manu: in latebris vacuo respondet imago
Tecta sono; Ioue turgescunt caua viscera plena.
Aurea vasa vides? lychnucus cernitur auro,
Et solido fictus: tenui vestitur amictu
Ex auro quodcunque vides: substernitur auro,
Mendaci fucata dolo, nec prodiga censu
Ænea materies, vel stannea tecta dolosè.
Et Phrygios mentita lues fœdauit amictus,
Et lanas vitio corrupit. nomina rebus
Imponunt peregrina suis, mage vt empta valorem

Res

Res augere queat pretij. merx fingitur Inda,
Quæ patrio cognata solo. iuratur Ibera,
Messica vel celebris, quæ potio creuit in vsus
Immodicos: labor hanc etenim componit, & astus
Artificis cum fraude manus simulator, adulter.
O Dea, si Veri custos, & nescia falsi
Ire semel statuat mutatâ fronte per vrbes,
Ore sub ignoto, loca per stipata vagari,
Seque hominum turbæ corâm miscere loquenti
Laruatâ sub veste latens; quæ fœda per aures
Ire suas vulgo sibi probra illata doleret!
Quæ non illa hominum ferret conuicia linguis!
Illa vbi iura suæ, & veræ præscripta loquelæ,
Non temerata dolis, astu violata videret.
Humanum quodcunque genus; quæcunque propago
Perniciem iurata illi molitur, & omnem
Candorem fœdare studet. vix creuit in annos
Ætatis primos puerorum turba tenellos;
Vix lustrum tetigit, falsos cùm nectere nouit
Lingua dolos. arcere nefas potis ore doloso,
Et technas struxisse potis: propellere crimen
Fraude sagax didicit: dubio sermone profari,
Et verbis versuta loqui mendacibus. auctos
Labe magis falsâ iuueniles inficit annos:
Veridico negat ore loqui. quid fœmina mendax
In censum veniat? fallacia verba reponet,
Fallacemque fidem: fallaces voce querelas,
Fallacesque dabit gemitus: fallacia risum
Erudient, lætam fallacia crimina frontem,
Et fallax oculos scelus arguet. intret in aulas
Magnificas Veri cultrix Regina potentum;
Hîc stabilem posuêre suam mendacia sedem:

Hic

Hîc falsi latuêre doli: fallacia nusquam
Culta magis regnat: iussis dominatur iniquis
Imperiosa suis: mentitis omnia constant
Fraudibus, & fuco cunctos lusura nocenti.
Ore serenato vultus tibi ridet amicus?
Turbo ciet pectus. promissis lingua profatur?
Corda fidem seruare negant. vestitur amore,
Inuidus assiduè rodit qui viscera liuor,
Et probrum sub laude latet. tibi culmen honorum
Celsius aßensu meritò gratatur adeptum?
Te magis optâsset pronas sensiße ruinas,
Atque imo iacuisse solo. tibi spondet amicam
Largus opem? fallax versuto crimine damnis
Per latebras studet ille tuis. Nunc vertere greßus
Iam libet ex aulâ, & fallax intrare tribunal,
Clamosumque forum. Veri laniena paratur
Quæ cernenda tibi! causarum plurimus Actor
Ancipitem gerit ore fidem. quæ causa caduca,
Et nullo veniet solido fundamine nixa,
Ille dabit firmam. structis ambagibus, omnem
Innectet sine fine moram: data tempora causæ
Suffecisse negat: publicis vestigat in actis
Crimen, & inueniet vitium irrepsisse libellis.
Quid referam ancipites leges, tabulasque dolosas?
Quid malè suppressas? quid diti munere victos,
Mendaces testes, falsæ & periuria linguæ?
Dote dolo caruêre nurus: spoliatus egenus
Fraude miser: iustus reiectus fraudibus hæres,
Et supremarum tabularum conditor, astu
Elusus: viduas, pupillos fregit egestas.
Vana quis enumeret quæ gens mendacia cudit,
Astrorum seruare situm, faciemque figuris
Sueta?

Sueta? polum docuit mentiri, nescia veri,
Et falsis delusa dolis. nascentibus omnes
Edicit vitæ cursus, æuique tenorem,
Fortunæque vices varias: quæ tempora signent
Astra simul coëuntia: queis mox legibus annus
Sidereis reuolutus eat: quæ bella minaci
Ore mouet Mauor: ventura incendia terris
Vaticini funesta canunt: mox imbribus auctam
Eluuiem comitem flammis, sociamque futuram.
Cuncta oculis perspecta dabunt. sine luce nigrantes,
Et tectos sub nube dies: mox luce serenos
Ire iubent: validos tonitrus, cœlique ruinas,
Fulmineos iactûs, tempestatesque sonoras:
Et steriles terræ fruges: armenta perempta,
Corporeos hominum morbos, & funera Regum,
Pestiferæque luis vitiatos crimine flatus,
Et cuncta, infausti bubones, damna minantur.
Anne putes hos vera loqui? mendacia dictis
Euentu fraudata suo damnantur iniquis.
Non vllo stetit ore fides: contraria votis
Euenere suis. Promisit Nestoris annos?
Successu temerata fides: succisa iuuentæ
Stamina, & in medio florentis temporis æuo.
Cui largas promisit opes, oppressit egestas,
Et fortunatos miserè Fortuna reuoluit
Orbe suo in præceps. Fastigia prætulit astrum?
Ima locum Sors dura dedit. Cumulabit honores
Culta diu Pallas? studijs excultus Apollo?
Ingenium sortitus iners, pinguemque Mineruam,
Militiam coluit, Mauortis signa secutus.
Otia securus pacatæ tempora vitæ
Mollis aget, signis, vultuque monentibus astris?

Assiduis versata malis, crebrisque periclis,
Infelix obiecta, dies asperrima duxit
Longa ætas cunctos. Anne irrita prosequar anni
Tempora, & euentu frustra præscita futuro?
In censum posuere dies, quos digerit annus,
Bissenosque suis menses scripsere tabellis;
Mox ventura canent. Lux hæc fœdata procellis,
Et nebulis obducta venit? mage clara refulsit
Nunquam aliàs; Phœbus sua nunquã lumina vexit
Lucidiore die. Pluuias dixere futuras?
Imbre polus caruit. Ventos sæuire fragosos?
Nullus erit tenuis flatus, vel sibilus auræ.
Horrida cuncta gelu, canis conspersa pruinis,
Et niuibus contecta volunt? perfluxit ab austro
Ignitus feruore vapor. mendacia cumque
Deficient; vacuas sedes, loca vana tabellis
Inuenies, festosque dies, & nomina Diuum.
Cætera quid numerem solers mendacia rerum,
Et speciem mentita suam vitia addita formæ?
Stat sine crimine caput? mentitus tempora crinis
Calua teget. Canos induxit pigra senectus?
Illita nux atrox simulabit fæce capillos.
Dentibus ora vacant? dens supponetur adulter.
Pallescunt liuore genæ? medicamine fucus
Restituet roseum mentito vere colorem.
Fœmineam natura breui sub corpore formam
Præbet auara nimis? vincent sandalia tecta
Sub pede procerum & sublimi fronte colossum.
Falsa nec immunem quoque te mendacia, Virtus,
Ire sinunt: vitium, mentito tegimine, clarum
Sæpe tuum simulare decus; frontisque seueræ
Os, habitumque sagax gestit præferre dolosè,
Atque

Atque oculis offerre cupit. prudentis in ore
Calliditas versuta latet: mentitus amore
Infensus tegitur liuor. fouet ore pudico
Fœda Venus flammas; acuit sua tela Cupido.
Et fastum contemptûs alit. spernuntur honores,
Vt spretus mage crescat honos. mitescere vultus
Discit, at intus habet furiosas pectoris iras:
Vltores sensus mitissima verba recondunt.
Ardor auaritiæ frugali tectus amictu
Incedit: grandes animos audacia vestit,
Magnanimasque notas astu studiosa requirit.
Quid gracilis iamdudum hæres defixus in ora?
Delitet ingluuies, & ventris fœda Charybdis:
Impietas pietate latet, Numenque perosus,
Supplicibus votis, lacrymosâ voce fatigat.
Phœbe, diu frustra Veri reperire parentem
Nitimur: vsque fugax, terris ignota vagatur.

PAVPERTATIS vindicantur opprobria.

IRe per vrbanas (ea sunt mea vota) Camœnæ,
Me piget vsque vias: cœtus linquamus amicos,
Phœbe, hominum cunctos. siluestres ire recessus,
Et loca sola decet. quoscunque offendimus, vnam
Pauperiem irati plectunt, cumulantque malignis,
Effusis sine lege probris. Quid turpis egestas
Hunc Orbem tumulanda tenet? cur obsidet vrbes

Ærum-

Ærumnis armata suis? cur promit amictus,
Et laceros neglecta sinus? sunt cuncta querelis
Flebilibus iam plena suis. cuncta astra fatigat
Mendicis animata sonis. per compita nullus
Non miseras querulus iactat, noctesque, diesque
Improba testantes Fortunæ facta malignæ
Voces & gemitus. iamdudum exosa recedat
Infelix ex Orbe lues. longè abdita cæcas
In latebras se se condat. nonne indiga census
Nobilitas calcata iacet, quòd Palladis artes
Indecori mansere situ; quòd viuida mentis
Egregiæ, ære malo, fœdis tumulata tenebris
Lumina sordescunt? nullum tidi fœdus amicum,
Nexus amicitiæ nullus iungetur egeno:
Gratia non vlla accedet. tibi limen auarum
Difficiles aditus dederit: surdâ aure precantem
Respuet & Iudex: linquet tua iura patronus,
Mercedis locupletis inops. connubia nullis
Sunt votis patefacta tuis. vel sanguine iuncti
Cognatum spreuere genus: dignabere nullo
Præcipui sermone viri; sua terga superbo
Conuertet fastu diues, frontisque minacis
Auersus tibi signa dabit. Conuicia tristis
Paupertas perferre negans, hæc dicta reponit:
Sic hominum genus ignauum, & malè sana propago
Me extorrem, sine mēte, cupis? propellere ab Orbe
Freta minis, sine iure, velis? non vllius Orbis
Præsidijs quàm stare meis didicit mage. tolle
Quas præbent operas, inopes, seruasque labori,
Emeritâ mercede, manus; non artibus vllus
Splendor erit: miseri vacui cultoribus agri
Squallebunt steriles. terræ quis semina credat?
Quis

Quis rastris fodiat? curuo quis findat aratro?
Quis segetes purgare queat? quis meßor aristas
Maturas iam falce secet? mox falce resectas
Quis terat assiduo pulsu? quis flaua nitentis
Grana ferat Cereris, Cerealia dona recondat?
Bacche, tuas amisit opes vindemia, vites
Agricolæ ni ponat opus, ni cura colendis
Insudet solers, crescentes ni alliget vlmis,
Vel sua populeis ramis mox dextra maritet,
Et frondator inops, hyberno tempore, longis
Palmitibus, luxum ferro tenuabit adunco.
Indigus aërius maturas vinitor vuas
Collectas tibi corbe dabit: supponere prælis,
Et pedibus calcare: lacus implere fluenti
Subiectos musto, pactâ mercede, valebit.
Paupertas docuit nautas tractare carinas,
Et tumidum sulcare salum: per Nerea longas
Ancipites tenuisse vias: sensisse procellas,
Ventorumque minas, sæuique pericula ponti,
Et posito longè commercia nectere Mundo.
An si inopum non turba foret, tumulata fodinis
Aurea montanis inuisa metalla laterent?
Hæc inopum labor educit seruilis ab imo
Telluris, sub nocte latens. seruilis in auro
Purgando est addicta manus: signabitur aurum
Curâ inopum: argento venient impressa figuris
Signa laboratis. pendent aulæa ministris
Artificum manibus? Phrygium seruilibus omne
Ex operis sudatur opus. quid conditus Orbis?
Quid tu diues eris misero spoliatus egeno?
Vnde tibi venient ducendæ commoda vitæ?
Vsus opum tibi nullus erit, tu rebus opimis,

Paupe-

Ærumnis armata suis? cur promit amictus,
Et laceros neglecta sinus? sunt cuncta querelis
Flebilibus iam plena suis. cuncta astra fatigat
Mendicis animata sonis. per compita nullus
Non miseras querulus iactat, noctesque, diesque
Improba testantes Fortunæ facta malignæ
Voces & gemitus. iamdudum exosa recedat
Infelix ex Orbe lues. longè abdita cæcas
In latebras se se condat. nonne indiga census
Nobilitas calcata iacet, quòd Palladis artes
Indecori mansere situ; quòd viuida mentis
Egregiæ, ære malo, fœdis tumulata tenebris
Lumina sordescunt? nullum tidi fœdus amicum,
Nexus amicitiæ nullus iungetur egeno:
Gratia non vlla accedet. tibi limen auarum
Difficiles aditus dederit: surdâ aure precantem
Respuet & Iudex: linquet tua iura patronus,
Mercedis locupletis inops. connubia nullis
Sunt votis patefacta tuis. vel sanguine iuncti
Cognatum spreuere genus: dignabere nullo
Præcipui sermone viri; sua terga superbo
Conuertet fastu diues, frontisque minacis
Auersus tibi signa dabit. Conuicia tristis
Paupertas perferre negans, hæc dicta reponit:
Sic hominum genus ignauum, & malè sana propago
Me extorrem, sine mēte, cupis? propellere ab Orbe
Freta minis, sine iure, velis? non vllius Orbis
Præsidijs quàm stare meis didicit mage. tolle
Quas præbent operas, inopes, seruasque labori,
Emeritâ mercede, manus; non artibus vllus
Splendor erit: miseri vacui cultoribus agri
Squallebunt steriles. terræ quis semina credat?
Quis

Quis rastris fodiat? curuo quis findat aratro?
Quis segetes purgare queat? quis meßor aristas
Maturas iam falce secet? mox falce resectas
Quis terat assiduo pulsu? quis flaua nitentis
Grana ferat Cereris, Cerealia dona recondat?
Bacche, tuas amisit opes vindemia, vites
Agricolæ ni ponat opus, ni cura colendis
Insudet solers, crescentes ni alliget vlmis,
Vel sua populeis ramis mox dextra maritet,
Et frondator inops, hyberno tempore, longis
Palmitibus, luxum ferro tenuabit adunco.
Indigus aërius maturas vinitor vuas
Collectas tibi corbe dabit: supponere prælis,
Et pedibus calcare: lacus implere fluenti
Subiectos musto, pactâ mercede, valebit.
Paupertas docuit nautas tractare carinas,
Et tumidum sulcare salum: per Nerea longas
Ancipites tenuisse vias: sensisse procellas,
Ventorumque minas, sæuique pericula ponti,
Et posito longè commercia nectere Mundo.
An si inopum non turba foret, tumulata fodinis
Aurea montanis inuisa metalla laterent?
Hæc inopum labor educit seruilis ab imo
Telluris, sub nocte latens. seruilis in auro
Purgando est addicta manus: signabitur aurum
Curâ inopum: argento venient impressa figuris
Signa laboratis. pendent aulæa ministris
Artificum manibus? Phrygium seruilibus omne
Ex operis sudatur opus. quid conditus Orbis?
Quid tu diues eris misero spoliatus egeno?
Vnde tibi venient ducendæ commoda vitæ?
Vsus opum tibi nullus erit, tu rebus opimis,
Paupe-

Pauperibus mage pauper eris. quis fercula mensis
Ritè paret quæsita tuis? quis dona Lyæi
Sufficiat solers, & pocula grata ministret?
Vnde tibi ad fastum tumidum famulare petendum
Subsidium? quæ te seruorum turba coronet;
Paupertas nisi dura iugo supponat acerbo
Egregias etiam animas? tibi pauper in alto
Piscator nocturnus erit, pariterque diurnus;
Squamigerumque gregem, iactis nunc retibus, hamo
Nunc capit, & structis fallit nunc vimine naxis,
Vibratoque studet ferro fixisse trisulco:
Fert hyemes gelidas, fert noxia tempora noctis:
Nudus ab imbre madet, nudo sub sidere flabra,
Nudus & ardentes sicci fert temporis æstus.
Et cinget venator inops indagine saltus,
Terrebitque nemus latrantibus ore molossis,
Vt tibi cædat apros; capreas tibi cæde fugaces,
Et pauidos leporum cursus tibi sistat anhelus.
Nonne auceps tibi seruit inops, vt turba volucrum
Sit mensis allata tuis, stupidumque palatum
Irritet, suetis epulis fastidia passum?
Quid me pauperiem probris fœdare malignis,
Atque inopum sortem ludicro temnere risu,
Fortunæque malæ obiectam vulgare, per omnes
Ærumnas, vitamque grauem, crebrosque labores,
Sollicitæ mentis stimulos, & pectoris æstus
Assiduos audent reuolutam? corda quietis
Indiga pœnarum miseris iactata procellis?
Nempe hæc damna premant spoliatos diuite censu,
Pauperiemque pati solitos? quæ damna fatigant
Diuitijs auctos; quæ curis anxia vexant
Corda locupletum; stimulis quæ pectora figunt

For-

Fortunâ validos hilari, fastuque superbos,
In miseros vertunt inopes. vota improba solos
Hæc dites laniant: vitijs data præda nefandis
Sunt cunctis: auidos animos sine lege tumultus
Irrequietus agit: votis rapiuntur anhelis
Diuitias cumulare nouas: quæruntur honores
Sollicitis studijs: cruciant sine iure negati;
Non satiant parti: partos Fortuna sinistra,
Neue rotent casus tristes timor anxius vrget,
Præcipitesque pauet culmen sublime ruinas,
Æmulus & liuor mærentia corda perurit.
Nocte toro molli quamuis data membra reclinent,
Strataque purpureo circum velentur amictu,
Byssina concilient bene potos tegmina somnos;
Nulla quies veniet recubantibus: anxia curis
Pectora torquentur: priscis noua tecta reponant
Quoque modo volunt: crescant quo culta labore
Iugera camporum: quæ grandes callida quæstus
Ars technis augere queat. malè concitus alis
Interea somnus nunquam rediturus abibit.
Nam quid prætercam, peccandi cuncta parari
Diuitijs fomenta tuis? virtutis in omnem
Perniciem scelus armari? crudelibus ausis
Insurges: miseros fastu calcabis iniquo.
Vindictæ furor abripiet: laxabis habenas
In Venerem cunctas: epularum fœda vorago,
Et Bacchi quoque gurges eris. non crimina tangent
Hæc inopes. vitæ pauper sudabit alendæ,
Non vitijs: nullo torretur Cypridis æstu,
Membra gerens tremefacta gelu, non ardor auarus
Exuret paruo contentum. Culmen in altum
Non felix fortuna tulit? timet ille ruinas

 Sed

Sed nullas. cingit famularis nulla corona?
Nulla etiam sed cura premit. non prandia lautis
Sunt epulis cumulata suis? sed membra valescunt
Morbosis exempta malis. non culcitra mollis
Excipit? at ducet molles in nocte sopores.
Assiduus labor atteret? at noua robora membris
Vulgari suffecta cibo, præstabit habenda
Nulla experta fames positis fastidia mensis.
Redditus est nullus? sed mentis gaudia læta
Vix numerare queas. pressis magalia tectis,
Atque humiles habitare casas sors ima coëgit?
Nulla sed aduersæ fortunæ fulmina tangent.
Ignis erit modicus, modicoque è flamma camino?
Sed fumosus abest teneat qui pectora fastus.
Ibit inops, tactus nullo terrore viator;
Intrabit syluas, nemorumque pericula tutus.
Non latro sistet iter: quæret prædator auarus
Nullus, & insidias cantu contemnet amico.
Vnda sitim pellet currenti vitrea riuo,
Et faciles epulas mensis Pomona parabit.
Non procul expectat, pellant quæ frigora vestes:
Ex ouibus pellitus erit tutamen amictus.
Nam quîd ego memorem tristis discrimina mortis
Disparis, & duri venientis tempora fati?
Non vno properata modo: non frontis eodem,
Nec suscepta pari generosi pectoris auso.
Diues inhorrescet vicini funeris horis:
Præripiet terrore malum: dabit ipsa pheretrum
Nuntia vox fati: circumspicit omnia mæstis
Attonitisque oculis: cunctorum fixus in ora,
Explorat, quæ signa gerunt. quæ parta labore,
Mox linquenda dolet: vitæ malè facta prioris

Mor-

Morſu acri lacerant animum: ſolamina nulla
Mærentem memorata leuant: ſpe fultus inani
Spes cunctas procul abijcit: horrida cuncta recurſu
Vulnifico ſimulacra tenent: experta voluptas,
Nunc ſtimulis armata ferit: mollita per omnes
Vita diu luxus tormenta obiecta reponit.
Non inopes hæc cura premit, non mæror obumbrat,
Non pauor exanimat triſtes, non terret imago
Inſtantis fati: fatum læto ore ſalutant:
Meta malis mox danda ſuis. exire procellas,
Et fluctus iam morte parant: prope littora cernunt:
Ante oculos iam portus adeſt: vicina labores
Solatura quies reuocat terſura gementum,
Gaudia mox lacrymas adſtant accita pheretro.
Quid vatum commenta canant, adſtare nitentes
Ante fores Cæli, referent qui limen Olympi,
Et Ianum, & Charites, & fluxi temporis horas?
Vna ego Pauperies Mundi perpeſſa labores
Pando poli limen; portas adamante rigentes
Ipſa manu reſero, notos admitto clientes,
Do faciles aditus, ſacris penetralibus vltro
Infero, & in ſocij ſolatia quæro laboris.
Nempe mihi promiſſa poli conuexa, Tonantis
Manſura per ſæcla fide. mutabitur ordo,
Et vertet Fortuna vices. quæ preſſa reſedit
Paupertas, ſublimis eat, ditetur egeſtas:
Ima petat faſtus: diues mendicet egenus.

AMICVM A MILITIA Auertere conatur.

TE Bellona vocet! Martis tibi dira cruenti
Signa sequi placeat! votis rapiaris anhelis
Militiæ fera iussa pati, viridemque iuuentam
Palladis assuetam studijs, Pindumque colentem,
Belligeris armare minis! sub casside crinis
Æratâ tibi tectus eat, quem fronde virenti
Texit Apollo suâ! feriant clangoribus aures,
Et trepido terrore tubæ, lituique minaces,
Quas dulces mulsêre lyræ! te plectra secutum
Tympana pulsa iuuent! roseos tibi cedat in amnes
Aonius de fonte latex! vibrare furentes
Dextera mucrones discat, quæ mollia chartis
Verba diù calamo didicit signare magistro!
Pila manu torquere pares, quâ innoxia neruis
Tacta Chelys potuit toties resonare canoris!
Anne tibi pectus Mauortis ferueat æstu,
Vaticinus quod sæpe calor subito impulit æstro?
Militiæ tu iura rudis, bellique labores,
Semper in ancipiti, & variæ discrimina vitæ
Ignoras subeunda tibi? brumalia noctis
Tempora, diræ hyemis furias sub sidere aperto,
Ignis inops, tremebundus ages: tua membra niuali
Torpescent tremefacta gelu. sæpe inter eundum
Algentes aquilone niues: conspersa pruinis
Ora feres gelidis: glacie concreta rigenti
Flumina tranabis nudus. tibi Solis ab æstu
Par labor exuperandus erit, cùm sæua Leonis
Ira furit, dirisque Canis latratibus ardens

Flam-

Flammantes vomit ore faces. modò languidus æstu,
Æratâ sub mole gemes: sudore madesces,
Fontis inops, sitiens. loca per deserta vagandum,
Non vllis signata notis: iuga celsa petenda
Senticomis prætenta rubis, obsessa salêbris.
Sæpe per anfractus nemorum, dubiasque latêbras
Tendere oportet iter. positis loca septa meanda
Insidijs cæcisque dolis. quîd lumina somno
Per noctem fraudanda breui? quîd saxa iacenti
Pro molli suffecta toro? quîd corpus ab imbre
Commemorem pluuio madidum? quîd fœta periclis
Tempora, si excubiæ forsan tibi noctis agendæ
Sunt vigiles, statioque vigil? discrimen ab hoste,
Milite par erit æquè tuo, si fessa sopori
Lumina tradideris: veniet plectendus vtrisque
Morte sopor, somnumque breuē mox fata sequentur.
Quîd cùm signa canunt? quîd cùm certamina poscunt
Ambæ acies instructæ? quîd cùm plumbea suprà
Tempestas furiosa tonat? quîd concita iacta
Telorum cùm dira seges pluit horrida nimbo?
Quæ tibi mens fuerit, coëuntia cùm agmina strictis
Concurrunt gladijs? stratæ cùm cæde phalanges
Innumeræ texêre solum? cùm corpora surgunt
Montanum factura iugum? si immunis ab ictu
Euasisse datur; restant subeunda pericla
Vsque tibi noua. tentandus tibi collis ab hoste
Possessus, ne sistat iter, ne terga premendo,
Strage nouâ minuat turmas, reliquasque phalanges
Absumat ferro. per noctem irruptio cæca
Atque inopina tibi tentanda: intranda latêbra,
Occultique aditus, fosso telluris hiatu.
Obsidio quîd longa foret si manibus altis,

Atque vrbi validæ dudum ponenda corona?
Hîc durum tibi surget opus. prope mœnia pugna
Conseritur? structum superandum robore vallum:
Ire iubent præter fossam: castrensia septa
Frangere iussa monent. aries quatit impete muros?
Ascensûm molire suprà: iam mœnia scalis
Admotis dant quassa vias. turbatus ab alto,
Non aliter, quàm turbo ruens, voluêris ad ima
Præcipiti lapsu: nimio vel pondere saxum
Desuper iniectum sparso teret ora cerebro,
Comminuetque caput; telis vel fixus acutis
Concedes fato; flammæ vel præda voraci
Sulphureæque cades: venient hæc præmia tandem
Militiæ: tales pariet tibi pugna triumphos.
At te quando ferox pugnandi cura fatigat,
Tantaque militiæ tangit generosa cupîdo;
Non ego pugnaces animos auertere tentem,
Nec belli tibi vota negem. pugnetur in hostes:
Sed veniet mutanda tibi sors altera pugnæ:
Conditio belli melior. certamina vertas,
Quæ mentem furiosa tuam, quæ subdola tentant
Illecebris captare suis, excire tumultus
In vitia, ingenuos animos quæ perdere certant,
Et scelerum damnare iugo. non longiùs hostis
Est tibi quærendus: latet intus condita pestis,
Visceribus malè tecta tuis: innata cupîdo
Vsque ferox tibi bella creat. certamina poscit
Non vnquam defessa, nec vllo fracta labore.
Tendet iter tecum: mensis adstare paratis
Illa volet tecum: sociabit noxia somnos
Irrequieta tuos: stratis tibi bella parabit.
Non vno mouet hoste suæ certamina pugnæ:

Im-

Improba multiplici vitiorum fulta phalange,
Multiplici bello aggreditur. mouet ardor auarus
Cogere diuitias: fœdis cumulare rapinis;
Quæsitis augere dolis. armabit honores
Ambitio. fastus ventosos ire tumores
Te iubet aduersus. liuentes sæua maniplos
Inuidia expediet. luxus sua signa vocabit,
Illecebrasque omnes Veneris malè sana voluptas.
Sanguineas dabit ira minas, vultuque cruento
Ad cædes vltrix mucrones stringet acutos.
Mollia turpè tuis coniurant otia damnis,
Obsidijsque pigris virtutis robora frangunt.
Hos animi contra iuratos belliger hostes
Iugiter arma feras: nunquam languere sopore
Tu vires patiare tuas: certaminis auso
Vsque nouo insurgas: labor audax vsque fatiget
Colluuiem infandam vitiorum. fœdera nulla,
Nulla quies scelerum fœdæ tribuenda cohorti.
Instaurat sua bella nefas, pressumque resurgit,
Extollitque caput fractâ ceruice superbum.
Noxia te credis fregisse Cupidinis arma,
Et Veneris vicisse faces? noua tela Cupîdo
In tua damna parat: nocuis Venus improba flammis
Bella nouis renouat: nexus rupisse tenacis
Credis auaritiæ? fallax tibi vincla retexet,
Et struet illa nouos nodos. iterare tumultus
Seditio, quos intus alit tibi praua nocentis
Affectus varij, semperque ad iussa rebellis
Cessabit nunquam; linquet cum funere pugnas.
At tibi quale decus! celebris quæ clara triumphi
Gloria victori veniet, cùm colla catenis
Ante pedes religata suis turba impia visa

Strata iacere tuos! quamuis hæc palma phalanges
Non inter medias, campo nec Martis aperto,
Vulneribusque data, & fuso per membra cruore;
Sed tibi parta domi, medios tibi parta sedenti,
Ignotosque lares inter, generisque penates ,
Æternùm celebranda venit. non illa caduco
Constabit plausu, aut terris præconia sistet:
Implebunt sua facta polum: se se inferet astris.
Ante fores cognata sibi manet inclita virtus,
Serta manu decreta gerens: cumulabit Olympus
Grandia, & emerito concedet dona labori.

A PECCANDI INITIIS Abstinendum.

HEu sceleri ne pande fores: felicibus ausis
Vt peccâsse semel licuit, nec vindice pœnâ
Expertum prima orsa nefas; mens ilicet omnem
Abijciet secura metum, frænoque soluta
Hoc trepido, faciles sceleri concedet habenas,
Et cursu leniore means, audacia gliscet
Excusso terrore semel. viciße pericla
Vt primùm tibi parua datur; spreuisse doceris
Quæ maiora manent euentu cuncta secundo.
Qui pelagi primùm pertentans nauita fluctus,
Per vada salsa ratem ducit, clauoque minister
Assidet, haud aliàs expertus puppe marinos,
Insanosque sali fremitus; concußa pauore
Corda gerit: trepido lethalis pallor in ora
Improuisa subit: gelidis sudoribus artus
Vicino terrore madent: quæcunque per amplum

Im-

Imperiosa salum bacchantur flamina terrent,
Sollicitumque tenent. cælo quemcunque maligni
Sideris exortum, nimbos, Lunæque minacis
Cornua secta timet, vel plexis cornibus orbem.
Si tamen incolumem subduxerit æquore pinum,
Et semel æquoreas pelagi superare procellas
Contigerit; crescent animi: maioribus ausis
Ad quæcunque ruet, victo terrore, pericla:
Impauidus ponti fremitus, cælique ruinas
Despiciet. fundo tumidus se tollat ab imo
Nereus; vndarum congestis montibus astra
Summa petat, pronusque ruens, resupinus hiatus
Mox referet, vasto pateant caua regna barathro;
Tendet iter tutus. sublatis fluctibus, ausa
Per freta nulla cadent: obductâ nubibus æthrâ,
Ore nitet placido, frontem gerit ille serenam.
Tempestas det sæua minas; stat pectoris audax
Inconcussa quies. ruituris imbribus aër
In mare præcipitet; siccis spectabit ocellis,
Et pluuium de nube salum. laxentur habenæ
Flatibus Eolijs, & sibila cuncta cauernis
Flamina missa suis spumantia bella minentur;
Nullus turbo ciet pectus: neglecta Carybdis;
Scylla iocus veniet: syrtes, & naufraga saxa
Exuti terrore soni, ludibria ponti,
Nomina vana metus, donec fiducia ponto
Merserit, atque ausis meritis dedit vnda sepulcrum.
Cerne rudes ad bella, & Martis damna cruenti
Nondum aliàs expertos. cùm tuba signa canoro
Ære ciet pugnæ. cùm timpana pulsa phalanges
Instructas, conferre manus, certamen inire
Horrisono terrore monent, coiere minaces

Cùm

Cùm strictis gladijs acies, cùm pugna cruenta
Milite conserto feruet, cumque agmina ferro
Vibrato truncata cadunt; dare terga pauori,
Et trepidos vrgere pedes: sua munera dextræ
Ignauo torpore negant; pes aliger ardet
Sollicitam tentare fugam. non vulnera poscit
Miles in arma nouus, non hosti occurrit eundo,
Non ictus inferre parat: suspirat anhelus
Quò se cunque modo valeat subducere pugnæ.
At si prima semel certamina vota secundent,
Et Mauors fortunet opus; consurget in ausa
Impauidus: medias acies irrumpet; in hostes
Ore ferox, dextrâque minax, per vulnera, perque
Corpora cæsa viam quæret, nil territus, ausu
Semper ei crescente nouo, spretisque periclis
Cœpta necem donec dederint audacia victo.
Haud aliter qui impunè semel sua crimina cernit
Successu caruisse malo, nec vindicis iræ
Supplicium sensiße nefas, mox pronior, ausu
In scelus omne ruet: non illum sæua minacis
Numinis ira mouet, merito nec pœna luenda
Æternùm decreta rogo: iuuat ire per omnes
Noxarum sine fine gradus: hæc criminis orsa
Detrimenta ferunt: lubricas insistit eundo
Culpa vias, ac prona ruit. si deuia gressus
In decliue semel dederit, post irrita cœptum
Sistet iter præceps. sceleri scelus addet, & vnum
Nexu aliud sine lege trahet. non vlla nocentem
Fert sterilem mala culpa sinum: numerosa propago
Visceribus stat fœta suis, & diuite censu
Vsque noua accrescit suboles fœcunda parenti.
Qui semel institerit furtis, mox cuncta rapinis

In-

Inuoluet; fœdeque vias graßator iniquus
Insidijs cinget. turpi qui Cypridis æstu
Arserit, & Veneris blandos libârit amores,
Ferre modum nescit: nunquam satiata voluptas,
Illecebris illecta nouis, noua gaudia poscit.
Iræ iras cumulant, astus subcrescit ab astu:
Lingua semel mendax, mendacia cuncta reuoluet:
Euentuque fides primo temerata maligno,
Lubrica semper erit, promissis vana caducis:
Culpa catenatum scelerum trahit vna tenorem.
Nam quid præteream, quòd cùm semel ore pudorem
Exuis, & trepidum deponis fronte ruborem;
Tunc totas sceleri laxas permittis habenas?
Vnus nempe pudor peccandi fræna coërcet,
Atque animos in vincla tenet. si pulsus abibit;
Morsus erit nullus, formido nulla retardat.
Non loca tecta tibi, & positi sine luce recessus
Quærendi: peccare palàm dementia discet.
Quid scelerum tu prima iacis fundamina? Diti
Suggeris arma volens: etenim nil illius ausis
Opportuna magis veniet data causa nocendi
Principijs oblata tuis: certamina poscet
Non anceps dubij Martis, timidique triumphi,
Sed sibi pollicitus nullo discrimine palmam.
Illi miles eris non hostis: prisca voluptas
Aduersum te bella dabit. simulacra recursu
Blanda olim, solers tacitè sopita reuoluet,
Perniciem latura tibi, memorata nocentem.
Callidus arte, dolos nectet, cùm certa monebunt
Insidijs non vana suis data tempora, cumque
Opportuna locis occasio damna ministrat
In lapsûs ingrata tuos: certabit imago

Hausta oculis, pugnant mellito verba palato
In pectus lapsura tuum, fractura repôstas ;
Duratâ tibi mente, fores, animumque tenacem.
Hæc memori si mente colas documenta salutis;
Dum cæptis obstas, finem tibi vota secundant.

CÆTERÆ ARTES STVDIO Impenso quæruntur, bene viuendi ars negligitur.

Cerne hominũ studiũ, & duros per cuncta labores
Artibus in varijs discendis. membra sopori
Matutina rapit, qui solers flectere habenis
Discit equos. iussus, rigido censore magistro,
Instratum conscendit equum. super ardua saltu
Crure leuis meliore salit. pes ritè sinister
Insertam stapedem firmus tenet. arte coërcet
Insiliens data lora manu. Domitoris ab ore
Ad nutus documenta capit. plectendus, in artem
Si scelus admittat: nec virgam membra recusant;
Muneribus si lenta suis. stant corpora nullo
Obliquo deflexa situ: firmatur vtrumque
Immotum sub crure genu: non laxa vagantur
Crura nimis; nec pressa nimis: nunc liber habenas,
Currenti concedit equo: mox fræna coërcens
Stare iubet subitò immotum: dein tendere cursu
Suspenso, lentoque docet, glomerare volutos,
Tollutimque gradus celeres agitare monebit
Exin doctus eques. spiris conuoluit: in orbes
Circinat, & celeri decurritur area gyro,

Donec eques sudore fluat, succusset anhelus.
Non ne vides alios, sæuo vt data cura lanistæ
Erudiant ad bella manus? vt vulnera discant
Vibrato ad legem gladio, & dirâ arte magistrâ
Pectus in aduersum lethalia ferre cruenti?
Hic iuuenum sudat labor omnis. pandit eous
Vt primum nascendo diem: studiosa iuuentus
Conuolat in mortis ludum], cædisque patrandæ.
Turpe ministerium. nocuum deponit amictum,
Et gladium sibi quisque parat: ludicra cietur
Pugna, sed in veros tandem se proferet ictus.
Ante, retroque pedes extendi lege iubentur
Certâ, quæque manus capulo stat stricta retento
Ensis; retro subit paulo decliuis in imum,
Erectâque acie sursum. protenditur ante
Sica manu læuâ quæ stringitur. inde minaces
Incipiunt ictus. aduersus certat in ensem
Aduersum gladius: stant lumina fixa tuentum;
Quò se cunque ferat gladij certantis acumen,
Atque ictus inferre paret. simulatur in vnam
Sæpe ictus partem, feriet sed concitus arte
Partem aliam, deses quem frustra reppulit ensis.
Non alios memorem, quos molli guttura cantu
Exercere iuuat. quæ illos fastidia vexant,
Dum sua prima rudes ponunt fundamina vocis,
Et variare notas discunt! quæ cura laboris
Artifices didicisse sonos! attollere cantum
Ad numerum! exili vocem tenuare susurro!
Elatam, subito reuocato murmure, pressam
Reddere ritè grauem! tremulam supendere! truncam,
Et medio in cursu cancisam cæde necare!
In celeres agitare fugas, reuocare fugacem!

De-

Deliquijs victam propero damnare feretro;
Mox subitis animare sonis, & reddere vitæ!
Hunc Pictura iuuat, longo quæsita labore,
Et tabulas animare docet. vacat ille Poësi,
Et formare studet numeroso carmina versu.
Et colit hic alius facundæ munera linguæ,
Et causas patronus agit. stat cura medendi
Huic alij, & morbos nocuos auertere discit.
Nempe vnum virtutis opus, vitæque regendæ
In meliùs studium contemnitur. omnibus vna,
Præ cunctis animos formans, moresque labore
Componens, discenda foret, studioque colenda
Ars esset toto conamine. dextra lupatis
Frangit equos: fræno domitos ad iussa coërcet,
Et faciles parêre docet; quæ corda cupido
Effrænis, sine lege rapit, compescere deses
Negligis, & mentem pateris super ire iubentem:
Ardor auaritiæ: furiosæ Cypridis æstus:
Inuidiæ rabidus liuor: fastusque superbus:
Ira furens: odia insidijs malè fœta malignis:
Vltor in immeritos vindictæ feruor anhelus:
Lingua procax: inhians damnis malè sana voluntas,
Præcipitem te turpè trahunt, vitamque nocentem
In scelus omne mouent, lentòque sopore quiescis,
Nec studio incumbis, nec opem tibi quæris ab arte,
Inijciat quæ fræna tuo generosa furori,
Indomitumque regat solers. Cur ensis in ictus
Subsidium tibi ab arte paras? cur vulnera discis
Tu gladijs inferre tuis? cur sedulus ambis
Ire tuos contra doctus pugnator in hostes;
Nulla tuum quandò te tangit cura nocentes
In motus armare animum, viresque rebelles

Fran-

Frangere, & indomitas mentis superare phalanges?
Arte rudes discis voces inflectere cantu,
Et dulci mollire sono: mollire feroces
Mores: ingenium studio mulcere ferinum,
Concordes animo pugnaces pectoris æstus
Reddere cura premit nulla? an tibi carmina metro
Composuisse placet, mores vinxisse solutos
Displiceat? solers morborum pharmaca discas,
Præsidium latura malis, membrisque iuuandis
Apta tuis; animo languenti ferre medelam,
Atque ægram vitijs mentem sanare recuses?
Quid iuuat in tabulas pictos duxisse colores,
Si non vlla tibi constat virtutis imago?
Quid causas patronus ages? componere lites,
Dissidia, & mentis cum corpore cura laboret.
Degere qui didicit vitæ virtute magistrâ,
Ibit in aduersam nullâ formidine mortem,

ANIMVS A VITIIS
Liber laudatur.

VOs, quos cura tenet vitam duxisse serenam,
Et lætos sine nube dies; super ire pericla
Iugiter impauidos; fortunæ tela minacis,
Et casûs perferre graues; spreuisse superbas,
Deuicto terrore, minas; aduersa laborum,
Ærumnasque gradu simili, simili ore secunda
Tempora transigere, & nullo varianda tenore,
Virtutem coluisse decet. mens nescia noxæ,
Et rectum quæ tendit iter; quæ praua nocentum
Facta animo procul abijciet; quæ insistere calles
Obli-

Obliquos scelerum, & fœda contagia labis
Nixa Deo, vitare studet; quæcunque malorum
Detrimenta nocent, generoso perferet ausu:
Non vllis languescet iners, nec fracta recumbet
Impositâ sub mole graui. Quîd prælia tentent,
Quîd trepidos ausint menti concire tumultus,
Quæ mortale genus vitia improba cuncta lacessunt?
Mollia molitur frustra sua tela voluptas;
Illecebris captare Venus vanâ arte laborat,
Et sua desperat sinuato spicula cornu,
Nec facibus videt esse locum, insidijsque Cupido.
Ira pauet conferre manus. ceruice superbus
Calcatâ, furiosus abit, qui culmina fastus
Imperiosus amat. vano quæ indulget honori
Ambitio, neglecta iacet. cumulare rapinas
Suetus, terga fugax, ardor conuertet auarus.
Nil audet tentare gula. ingemit, ora rubore
Probroso liuor perfusus. culmen Olympi
Ascensu tenuisse leui, qui pectus ab omni
Labe gerit vacuum, studijs nec corda malignis
Exercet, tu iure putes. subsidit in imis
Turbo procellosus vitiorum: concita nimbo
Tempestas depressa cadit ruinosa minaci:
Irrita vibrantur iaculatis fulmina telis.
Stat suprà virtutis apex: tonat atra procella
Inferiùs, vanisque minis certamina miscet.
Iurati aduersi casûs, aciesque malorum
Bella gerant; odijs liuor malè fætus iniquis,
Perniciem, vultu tectus, meditetur amico,
Componatque dolos; probris, & famá laboret
Immeritis, fœdeque ferat conuicia linguæ:
Traducatur honos: generis cognata propago

Sit turpi maculata notâ: confictа per astum
Teste malo mendax iurata calumnia vincat;
Hæc contra insonti firmabitur ægide pectus:
Spicula iacta suo virtus vmbone repellet.
Non animum lædunt: extra consumpta vagantur.
Libera erit constans iniecta compede: virtus
Vincla pati nescit. tumuletur carceris vmbris;
Natiuo splendore micat: calcata resurget
Celsior. ora situ, & fœdo squalore sepulta,
Apparent formosa magis: ludibria clarum
Addere visa decus. tristi voluatur in orbe
Fortunæ aduersæ; fixo stat cardine virtus.
Mens immota manet: seruat tranquilla tenorem,
Præsidijs fundata suis. ruat æthere turbo,
Magnificasque domos rapidæ vertiginis ira
Præcipites terris æquans in rudera vertat;
Excelso stat tuta loco mens conscia recti;
Deiecta haud vnquam lapsûs passura caducos.
Eluuies quîd sæua paras, torrentibus aucta,
E summis reuoluta iugis euertere campos?
Spes agri cunctas inuoluere? cuncta, per agros
Herbosos quæ armenta vigent, tumalare fluentis?
Flamma vorax, frustra depasceris igne terendas
Mox cereris flauas aucturas horrea messes.
Nil seruent elementa fidem; nil frugifer annus:
Atra lues insana vomat furiale venenum:
Falce secet mors dira suâ discrimine nullo,
Et vitas rapiat, natos, totamque peremptam
Det subolem, stirpemque imis radicibus omnem,
Cognatumque genus diuellat; fronte serenâ
Hæc insons aduersa feret: formidine nullâ
In trepidos ibit casûs. iactura bonorum.

Non animi libabit opes: non funera nati,
Gaudia subripient, nati tumulanda sepulcro.
An membris illata suis, propiusque ferire,
Et sæuire queunt quæ damna nocentiùs, ausint
Pacatæ placidam mentis turbare quietem?
Cui recti, iustique viget constantia; pectus
Immotum, firmumque dabit. morbosa fatiget
Membra malis numerosa cohors; stet febris ab æstu
Torridus; inclusus venis furat ignibus ardor;
Frigore subsultent, gelidisque tremoribus artus;
Crebra rotet vertigo caput; tormenta iacenti
Tormina sæua creent; succussu vexet anhelo
Spiritus ægrè haustus; laterum dolor ense cruentet
Vulnifico lapidum; peior tortore podagra
Colla premat, nexuque manus, & compede dirâ
Constringat furiosa pedes; infusa per artus
Tela rotet; morsu neruos perstringat acuto;
Torqueat ignitis iaculis; turgentia membris
Signa creet, fastu pariat ventosa tumores;
Hæc insons tormenta feret. nil territus æger,
Non secus ac validus seruabit pectoris ausum.
Per mare tendat iter cui mens est criminis expers,
Et noxas odit; trepidis vectoribus, aër
In nimbos se armare parat: iam fœta procellis
Nubila tetra minas intentant: sibila pontum
Flamina subuertunt: fluctu tumet vnda minaci:
Aggerat & montes: aduerso nauigat alnus
Æquore: dissidium ventorum vela fatigans,
Huc, illuc agitata rapit: sua munera nauta,
Correptus terrore, negat: defectus ab arte
Fluctuat ancipiti curâ, trepidoque pauore
Dedidicit clauum rector sub lege tenere:

Cla-

Clamor vbique ſonat: reſonant ſtridore rudentes,
Miſcenturque pari confuſo cuncta tumultu:
Vnus, qui tricis animum, vincliſque ſolutum
Innocuus ſine labe gerit; palleſcere culpâ,
Qui nullâ didicit; factis nec ſordet iniquis;
Tranquillo videt ore minas, ſubitamque procellam
Pectore pacato venientem reſpicit. atra
Tempeſtas, quæ ſæua furit, nimboſque ſonoros
Horriſono terrore mouet, nil fronte ſerenum
Excutit. vndarum fremitu nil æſtuat intus
Alta quies mentis: nil robora priſca recedunt.
Virtutem ſed cerne tamen quæ cura ſequatur!
Quiſque probat virtutis iter: veſtigia raros
Ponè ſequi videas. cunctis extollitur: audent
Illius eniti in culmen pauci. tenet oris
Inclita, & emeritæ ſemper præconia linguæ:
Æmula facta ſequi deſes mox quiſque recuſat:
Et quicunque cupit, quæ præbet præmia virtus;
Suſcepiſſe piget dignos virtute labores.
Nil laudâſſe iuuat celebres virtutis honores,
Illius eniti in mores, documenta magiſtra
Diſcere; ſed factis animi ſocianda decoris
Addecet: iſta probant meritos virtutis alumnos.

HOMINVM SVPERSTITIO Damnatur.

PRiſca mihi veniat quìd nunc ridenda vetuſtas,
Romanumque genus, quòd vitæ euenta futuræ
Incertis ſeruare notis, rerumque doloſis
Edidicit monitis, & quòd facienda per Orbem

Vana superstitio regeret? nil ausa Quiritum
Progenies patrare manu: non ædibus vllus
Inclusos efferre pedes; non ire per æquor,
Et pelagi tentare vias, terræque repostæ
Aggredi iter nullum; nullis insistere cæptis;
Bellaque in aduersos non vlla capessere contra;
Non vllas conferre manus pugnator in hostes,
Ni priùs accitus longè consultor Hetruscus,
Qui sua signa daret calidis spirantibus extis.
Cuncta notis captanda suis: cuncta omina signis
Exploranda priùs, quàm rerum incepta sequantur.
Consultæ volucres; vultus consultus Olympi.
An læuum intonuit; facies an clara refulsit
Eoi perspecta poli; quà clauditur axis
Occiduus, lucemque suam Sol merserit vndis,
An nebulis contectus eat. si pullus edendo
Signa dedit faustus; crocitans quid gutture Coruus
Annuerit; præpes quid vulturis ala volucris
Solerter seruata monet. si fulmen ab altâ
Nube cadens recto deducat tramite cursum,
Flectat an obliquos incertâ lege meatus.
Sollicitè quæ cura grauis torquebat euntes,
Implicitos si fortè suos laxaret aluta
Nexus, & vinclis religatus calceus vltro
Compressos non ritè pedes, strictosque teneret:
Limine vel primo si pes offenderit, antè,
An si pòst dextrum læuus festinus eundo
Præriperet gressum. subitus si pallia casus
Fortè humeris inuersa daret. si pocula labris
Hausta nimis cupidis latices versare lyæos
Contigerit. si mensa foret fœdata salino
Deciduo incautè. si occurreret obuia fœtu

Maturo ſoluenda canis; vel funus euntis,
Et ſubito elatum feretro fœdaret ocellos.
Quîd, ſi mane toro raperent dum membra ſopori,
Sternuerent? trepidi recubantes ſtrata tenebant
Vſque diem domi clauſi: penetralibus auſi
Non efferre pedes. ſi forſitan inter amicos
Dum medius quis tendit iter, ſe ſe inferat vltro
Per medium quoque turpè canis; iam fœdus amicum
Vinclaque rupta putat. Marium ridere triumphis
Innumeris clarum ceſſas? quòd linquit aſellus
Impaſtas ſegetes, atque hordea deſerit, vndam
Vt potet, cladem fertur timuiſſe futuram.
Traduceſque ioco miſſas ad bella cohortes,
Quæ fatum ſenſere Ducis, quòd pocula muſca
Plurima lambebat. meritos feret ille cachinnos,
Nec non & miles, qui ſæui prælia Martis
Fauſta minus cecinit, quòd plurimus ore voraci
Mus clypeos roſit. careat nec turba Quiritum
Ludicris, ſine mente, probris, quòd Roma pudorem
Amiſſura foret, dum ficus nata repentè
Germine funeſto Capitolia celſa teneret.
Priſca quîd hæc ludo traducimus? inficit annos
Hæc noſtros malè ſana lues, vitioque laborat
Hæc ætas mage fœda malo: ſuper aſtra triumphat
Vana ſuperſtitio, terram tenet, occupat æthram.
Diuinas infeſtat aquas. exercet in ignem
Mendaci ſua iura ſono. corrumpitur aër
Fatidicis ex ore notis. ipſa oſſa ſepulcris
Condita coguntur vanis ſeruire prophetis,
Fœdaque funereis prædicere crimina ſignis.
Quærere lentus anum differs! hæc obſita rugis,
Quæ non euentu pandet tibi certa futuro!

Grana salis crepuêre focis iniecta; virenti
Fronde suâ laurus flammis exusta sonoros
Vt strepitus dederit; pluuios de nubibus imbres,
Ingentes tonitrus, & fulgura mista procellis,
Turbineas ex axe minas, ventosque fragosos
Vaticinâ tibi voce canet. promittat Olympus
An Cereris flauæ fœcundum frugibus annum,
An steriles segetes: vigeant mala semina morbi,
Corporeæque luis vitium; vel membra valenti
Robore læta suo constent. Quid fæmina longè
Ægypto si fusca venit, sortemque puellis
Indagare, manu visâ, studeat, fatumque futurum?
Lineolis intenta diù, sulcisque tuendis,
Quos porrecta manus monstrat, connubia lætis
Auspicijs diuina dabit, thalamosque iugales,
Et fortunatam subolem spondebit: auari
Pollicitis studiosa lucri, promittet amoris
Fœdera perpetui, illibati iura mariti.
Inspectâ mox fronte, leuis discrimina casus,
Sollicito terrore, monet: mox ore sereno
Nubila discutiet, votis famulata secundis:
Fœmineum interea promissis elicit aurum.
Verba docet quibus eduri expugnentur amores,
Auersæ redeant mollitæ ad fœdera mentes.
Innocuosque canum morsus, & morsibus angues
Innocuos per verba dabit. te glandis ab ictu
Immunem dabit ire, & pectus vulneris expers.
Heu miserum mortale genus! ludibria vanis,
Et falsis innixa notis; inuisa Tonanti,
Execranda polo; Stygio meditata tyranno,
Sectari sine mente libet. ventura repôsta
Diuinâ sub mente latent. velamina condunt

Non

Non ausu referanda tuo. caligo futurum
Circunfusa tegit. sunt veri imperuia claustra,
Obductaque fores. hominum cur irrita tentet
Cura aditus, vanusque labor penetrare recessus
Nulli concessos inuito Numine? præpes
Icarium tentabit iter mens ardua Cœli
Vestigare studens. sublimes ausa volatus,
In stygium damnata ruet reuoluta barathrum.

HOMINVM LVXVS Damnatur.

N*Atales oblita tuos, humana propago*
Immemor, atq; satûs primi, quîd vana per oẽs
Ire cupis luxus? quîd parco viuere censu
Nata, sagax tot quæris opes? mansura fugaci,
Temporis & spatio modico, quîd dona per æuum
Duratura paras? arcto tumulanda sepulcro,
Immensâ tibi mole domos, vastosque penates
Ambitiosa struis. terræ reddenda parenti,
Tristis, inops, cunctisque bonis spolianda feretro,
Attalicâ sub veste nites, phrygioque labore.
Sed quîd ego hæc breuiter memoro, paucisq; repono?
Carminibus per cuncta vagæ laxentur habenæ,
Perque hominum luxus latè iuuet ire superbos,
Præcipuos quos Orbis habet. Quæ cura potentum
Ædibus incumbit formandis! marmora tellus
Dissita quæque dabit. Numidarum viscera montis
Fossori lacerata patent. sua vulnera Lesbos
Accipit. eruitur ferro Creta Insula duro,
Exhibitura suos lapides. immunis ab ictu

Æthyopum nec terra vacat, sua marmora iußa
Effoßo præbere sinu. Quid cernere puppes
Marmoreâ sub mole graues, longeque reuectas
Portantes cessas pretiosi pondera saxi,
Orbe diù toto quæsita, & Nerea magnum,
Mole super positâ, pressâ ceruice, gementem?
Nunc operi præbenda manus; ponenda profundo
Fundamenta solo. Terram penetratur in imam.
Infernas iuuat ire domos. fastigia moles,
Attollatque caput: ferientis fulminis iras
Negligit, & nubes gestit super ire tonantes,
Nedum montanos apices. renouata Gigantum
Ausa putes, montes cùm montibus addere tentant.
Certatis quid mole polum conscendere? Olympum
Mente iuuet petijsse: soli iuuet ima profundi
Linquere, & æthereas animo percurrere sedes.
Ante oculos structura domus nunc tota recurrat,
Et se spectandam exhibeat. viden' illa superbas
Magnificasque fores primo tibi limine monstret,
Queis vtrumque latus pariæ cinxere columnæ
Vestibulum ante ipsum, quarum capita alta coronat
Sculptorum labor egregius? Stant signa repôsta
Marmoreis thecis, loculisque inclusa cauatis,
Praxiteli demptura decus; latura labori
Phidiaco inuidiam, felici marmoris ausu.
Miraris quod fronte patet? te protinus intro
Infer: mira dabunt se se atria vasta tuenda,
Æquaque camporum spatijs. dat porticus vmbras,
Atque imbres eadem pluuios, nimbosque repellens,
Cincta peristylijs, sinuatis arcubus aucta.
Ascensum molire suprà. dabit apta quadrigis
Scala gradus, facili ascensu, lateque patentes.

Quid

Quid magnas aulas memorem? conclauia crebra
Quis numerare queat? superæ, infernæque domusque
Quis sedes ineat? varijs habitanda penatum
Quis loca dinumeret? pars hæc sibi claudit ephebos:
Nobilibus pars illa viris deseruit habendis:
Ista Gynæceo dabitur: teget illa minores
Seruitio famulos: pretiosos seruat amictus
Hæc alia, & Phrygios custodit cauta labores.
Est locus argento: sedes conceditur auro.
Si lustrare domum cupias, ne deuius erres;
Dux tibi monstret iter. Minoia tecta subire
Iure putes merito, tot flexus continet ampla,
Ambagesque domus. nunc ornamenta, potentem
Carminibus se æquare satis mea Musa canendo
Officiosa negat. fulget laquearibus aurum:
Tecta nitent auro: paries stat fulgidus auro:
Aurataeque trabes, auroque corona renidet.
Murorum intextis ornatur crusta lapillis,
Picturam vario mentitis ritè colore.
Marmoreumque solum pedibus calcare superbit
Ambitio domini; quod distinxere figuræ
Multiplices nitido, maculoso & marmore ficta.
Cætera quid memorem? Phœbi te tecta subire,
Solaremque domum credas. Natura penates
Non sic instituit. solos concessit in vsus
Queis homines munire queant se Solis ab æstu,
Queis hyemes, pluuiasque queant, Cælique ruinas,
Queis vitare feras, queis obuia damna cauere
Noxia cuncta queant; non luxibus illa fouendis,
Delicijsque dedit. gelidas habitantibus Vrsas,
Brumalemque polum, naturæ est inditus ardor,
Et genius melior. non illos tecta superba

Exci-

Excipiunt, amplæque domus. dant plauſtra penates;
Mobilibuſque tegunt poſitis tentoria telis;
Et cocleæ de more lares, & tecta reportant,
Orbe peregrini, fixâ nec ſede morantur.
O generi hæc hominum ſemper documenta recurrãt,
Tangat & hæc animos illorum cura ſalubris;
Non hîc manſuros illos habitare penates,
Nec ſtabiles coluiſſe domos! decretus Olympus,
Æternùm manſura domus, conuexaque Cœli
Nos ſtellata manent, noſtro tribuenda labori,
Si non hæc nobis ipſi fraudamus inertes,
Et pigro torpore mali. Mea Muſa moraris
Quîd dudum luxum veſtis damnare pudendum,
Et cultum immodicum? quîd fuſum turpiter aurum?
Exhauſtas quîd peiùs opes? vt corpora veſtes
Ambitioſa tegant, toto quæruntur ab Orbe
Merces. ora ſuum pendet quæcunque tributum,
Allatura decus. diſiecta Britannia lanas
Immittet pretioſa ſuas. Hiſpania cenſum,
Augebitque ſuis mollem. tibi Belga miniſtrat
Certantes niuibus tenues ſine crimine telas.
Et Serum deſeruit opus. villoſa placebunt
Serica; quærentur villis exuta retonſis.
Segmentata venit; ſegmentorum indiga veſtis
In luxus veniet. Phrygio ſudata labore,
Et gemmis onerata premet. Quis verſibus æquet
Fœmineum mundum, atque artus ſub veſte gemẽtes,
Texto auro, argentoque graues? curuatur in orbem
Illudens pedibus cyclas, vaſtiſſima gyro
Expletura vias. inflatis flamine velis
Inſeſſa tellure ratem ſulcare volucrem
Non falſus reputes. gemmis viduatur Erythra,

Æquo-

Æquoreique ſinus, vt nectant vincula collo
Gemmea, & exornent pretioſa monilia pectus,
Auribus & veniant pretioſâ mole lapilli.
Hic dotalis abit cenſus. geſtantur amictu,
Quæ plures aluiſſe domos, caſtiſque puellis
Nubendis ſatis eſſe queunt, ludibria luxus,
Diuitiæ. Sed cerne caput ſub vere renidens
Floricomo; inuidiam pratis, Floræque nitentis
Facturum areolis. varijs quîd nexibus addi
Tæniolas memorem? pennas imitata volucrum
Ornamenta canam gemmis intexta: volucre,
Et leue fœmineum ingenium ſatis apta referre?
Stat digitis adamas, cuius mercabere opimum,
Et fundum pretio, & pagos, vrbemque decoram.
Quæ ſunt in veſtis luxu commenta reperta,
Et vanum ſine mente decus! bombycina telis
Subſutis ornant veſtes. pinguntur acutâ,
Et Phrygiâ variantur acu. iam murice tinctas
Eſt vulgare decus, veſtes & ferre rubentes.
Cerne nefas hominum, vanumque libidinis auſum!
Veſtibus his etiam patulas aperire feneſtras
Inuenit ferro artifice. inciduntur apertis
Vulneribus veſtes, cancellatimque patentes
Per nitidas plagæ rimas, diteſque lacunas
Argento intextas telas oſtendere gaudent,
Spiramenta leuis luxus: ad tecta repôſta,
Ad quæ ſe ambitio referat, faſtuſque ſuperbus,
Diuertas. iudex melior tu vulnera credas,
Sæua quibus lacerata patet malè triſtis egeſtas.
Non ego nunc referam currus, rhedaſque ſuperbas
Connubijs ſeruire nouis, nuptiſque recenter
Nobilibus decretos. tu per compita ferri

Mo-

Mobilibus ſubnixa rotis, lentoque rotatu
Tecta, domumque putes merito: præfulget ab auro
Parte nitens omni. temo, radijque rotarum,
Antè, retro, ſuprà, circum, mediæque columnæ
Inducto rutilant auro. Sed cerne phalangem
Seruorum! currum crebri comitantur ephebi:
Nobilium pòſt turba virûm circunſtat euntem.
A pedibus famuli innumeri. & miramur opimas
Decoxiſſe domos, & rus habitare latentes?
Sed quos nunc habeant lautos conuiuia luxus
Expedijſſe iuuat: namque hos mea Muſa recuſat
Indictos penitus ieiuno linquere verſu.
Vnde tamen ſint orſa priùs ſumenda laboris
Fluctuat ancipiti curâ. Regina palati,
Et ventris domina ingluuies non vna repoſcit
Regna ſuæ ſubiecta gulæ. non illa pudendum
Seruitium famulare cupit. non fercula quærit
Tam promptâ ventura manu, facilique labore.
Nempe ſuis epulis non vnâ ex parte tributum
Imperat; haud vno ſatis eſt contenta ſapore,
Ingenioſa cupit varios. per ſingula carmen
Confusâ non lege meet. Quæ turba parandis
Inſudat dapibus maiorum, quæque minorum,
Et quæſita procul pretio, celebrata coquorum!
Quot videas ardere focos! fumare caminos!
Quis cenſum varij referat feruentis aheni?
Quis verubus numerum verſandis ritè reponat?
Proh pudor! in menſæ luxus elementa laborant
Cuncta ſuis donis. Quicquid fouet eſibus aptum
Terra ſinu egregium: quicquid dat mobilis aër;
Quicquid habet pontus, cupido ſeruire palato,
Quodque gulæ poſſit, ſtudio venit omne petendum.

La-

Lactentes vitulæ, teneri quæruntur & hædi:
Sylua ministrat apros: timidique in fercula cæsi,
Præda canum lepores,optantur. mensa suillam
Respuit hyberno nec frigore. laus sua constat,
Capreolisque feris: nec dedignatur in escas
Fercula Ceruorum,vario condita sapore,
Ingeniosa gula. ipsa etiam concedit honores,
Quæ irritare sitim valeant de more salitis
Carnibus. inque offas petaso discissus abibit,
Quem meliore notâ gaudent siccare potentes
Samnites quondam bello. lucanica lances
Implebit dissecta suas, bellaria supra,
Quam consperſa tegant. veniet genus omne volucrũ
Quas nutrire domus, vel quas nemus abdere siluis
Consueuit. Cicuris venient pullique columbæ,
Et quas quercus alit siluestri glande palumbes.
Inarime dat Phasis aues, Prochyteque ministrat
Perdices. vacuas linquet Iunonius ales
Nec mensas. creber dapibus se se addere gestit
Afrorum gallus, sutoque & lumine capus.
Dona maris referam? Piscator in æquore nudus,
Algenti sub nocte rigens, medioque sub æstu
Solis inardescens, mensis seruire potentum
Cogitur, ex omni selectâ stirpe natantum
Munera grata ferens. Mulli venêre bilibres;
Innumerus soleæ census: synodontis in escas
Turba frequens: thynni sumen: portâsse recentis
Displicuisse nequit: nec scorpius additus, ori
Ingratus veniet. mugil portatur edendus
Æquoreis modò raptus aquis, magnisque locustis
Non spernendus honor fuerit. pretiosus in escas,
Et xiphia accedet. nec te loligo palatum

Im-

Immunem transire dabit, cùm paruula pontum
Deseris, & nulli concedens grata sapori,
Ficedulæ nomen sortiris iure marinæ.
Nec palatinis acipenser gloria mensis
Defuerit; captæ nec iactis retibus vmbræ,
Nec Lupus, aut tremulâ piscatus arundine sargus.
Atque freto veniet quæsita anguilla sicano,
Flumineusque salar variatus tergora guttis,
Et gelidis melior veniens duratus ab vndis.
Quîd cùm sæua tenet tempestas æquora Ponti,
Et tumidæ voluuntur aquæ, nec retia pisces,
Non hami captare queunt? ieiuna marinas
Ingluuies expectet opes? gula nescia dulcis
Piscis erit? viduas mensas spectare licebit?
Luxuries impasta, sali viduabitur escâ?
Non hæc probra feret: pisces viuaria condent,
Naufragio exemptura gulam. piscosa tributum
Flumina plura dabunt, pelago suffecta tumenti.
Vina quis enumeret? toto quæruntur ab Orbe:
Nauigijs inuecta placent. vulgaria præbet
Iam Campanus ager. vilescunt nata Falernis
Collibus, Albanisque iugis. sunt Massica mensis
Exigui census. fastidit nota palatum,
Ignotis inhians; alienis quærit ab oris,
Et cupidis labris exotica vina reposcit,
Quæque tulit Lesbos, vel quæ fert Cretica tellus,
Vel Chio seruata cado; quæ tecta pruinis,
Alpinoque gelu, & niuibus tumulata rotatis,
Non placitura siti veniant, nisi labra crementur,
Et dentes stupidi gelido torpore rigescant.
Hæc hominum suboles luxus portenta sequatur,
Delicijs operata nouis? hæc fluxa requirat

Bru-

Brutorum de more, polo cognata propago,
Et Superûm de ſtirpe genus? Virtute magiſtrâ
Fundamenta locet: queis ſe ſe tollat ad aſtra,
Seque polum ſupra meritorum laude coronet,
Innocuo vitæ ſtudio. Quîd corpus opimâ
Veſte tegat ſolers, animus nudatus ab omni
Virtutum cultu, vecors, ſine mente, veredis
Ex merito collatus homo? Quîd fœda vorago
Tot varijs inhiet dapibus? ſua pabula menti
Palladijs creber ſtudijs meliora miniſtret,
Ingeniumque ſagax librorum menſa ſaginet.

DE SANCTA MARIA Ægyptiaca.

QVos me, Phœbe, iubes vaſtos intrare receſſus,
Et tetrum, ſine luce, nemus? cerno horrida circũ
Senticomis cumulatâ rubis, atq; aſpera ſaxis
Teſqua ruinoſis. non hæc loca, Phœbe, coruſcis
Sunt radijs conſueta tuis. hic nubilus horror,
Et mæror, trepidique ſuam fixere pauores
Sedem. culta hominum nulli plaga. ſola ferarum
Abdita tecta latent. vltra ſi tendere curſum
Inſtiteris; terram feruenti Solis ab æſtu
Inuenies, vrente polo: dabit horrida brumas
Succedens dum ſæuit hyems. allabitur aures
Triſtè meas ſed quis fletus? ſuſpiria pulſant
Quæ querulis animata ſonis? crinita niuali
Canitiè, inque imos talos conſperſa capillos
Occurrit ſpecies. monſtrum ne, an ludit imago
Humanam laruata fugax mentita figuram?

Me

Me, Phœbe, edoceas, & tecta arcana reuolue.
Tunc mihi sic Phœbus: Non vllam fœdiùs vnquam
Abripuit malè sana Venus: non ignibus vssit
Turpis amor crudeliùs: omnia tela Cupido
Deprompsit pharetrâ; aptauit sua spicula cornu,
Innocuo latura necem vibranda Pudori.
Tela nec incassum iaculatus. pectoris ima
Stant iaculis confossa suis. Venus improba quantum
Igne Dionæo, flammisque nocentibus audax,
In miseram sæuire parat. iam flamma medullas
Corripuit totas. Veneris iam castra secuta,
Idalijs corrupta dolis, mouet arma Pudori,
Omnigenis fœdata modis. properata voluptas
In sensus illapsa omnes, turpare iuuentam
Nititur obscœnis studijs. nil mente reuoluit,
Turpe lutum Veneris quod non olet, omnia curis
His transacta meant mala tempora. nocte recurrūt,
Quæ patrata die, scelerum simulacra figuris.
Mane nouo repetit nocturnæ crimina mentis.
In Venerem translata viget. vulgare pudorem
Nil renuit. decori adscribit, quod fama laboret
Probrosis vulgata notis. exuta rubore
Ora verecundo. perfrictæ frontis honores.
Olli lingua procax. oculorum turpiter errat
Obtutus sine lege vagus. stat compta capillos,
Et minio fucata genas. proiecta per omne
Decurrit reuoluta nefas; florentibus annis
Detrectata iugum patrium, monitusque parentum,
Quò sua liberiùs laxaret fræna pudori,
Mancipium Veneris, peregrinas migrat in vrbes,
Obuia præda procis. donec Pudor arsit in iras,
Sustinuit nec probra diu. simul impiger ausis,

Fre-

Frænat vbi sua regna Dolor, crimenque flagello
Emerito plectit vindex, & vindice pœnâ
In scelus omne suum ius exercere seuerum
Ritè solet; mæstè aduolat, atque his ora querelis
Implet, & in voces suspiria laxat anhelas:
Quo tandem vsque nefas dominabitur? impia bella
Quo tandem vsque Pudor patiar? ceruice repellam
Anne iugum nunquam? fœdæ seruire Dionæ
Tempus in omne datum? longos iam calcor in annos,
Statque meus pede pressus honos. Ægyptia nullum
Fœda puella modum sceleri dabit? exiget annos
Labe omnes Veneris pollutos? prima iuuentæ
Orsa Cupidineis iacuerunt marcida curis,
Et vernum sub flore malis decus ignibus arsit,
Et quæcunque dies Veneri concessa iubenti,
Et iuuenum fœdata probris, subcrescet in ausa
Turpior vsque noua, & melior fœdabitur ætas
Iam matura polo; sceleratæ crimina pestis,
Nec lapsûs reparare queat? Dolor, inclite vindex,
Et scelerum tortor, iussu decretus Olympi,
Est labor iste tuus; tantas auertere clades,
Et me iamdudum prostratum turpe Pudorem
Erigere, & reducem, victrici cæde, pudicum
In regnum asserere, & sceptro me reddere auito,
Vnde dolis pulsum Veneris, natique nefandi
Ætas longa diu vidit. molire cohortes
Assuetas ad bella tuas. perfringe rebellis
Claustra animi pugnax. obsessam pectoris arcem
Auxilijs irrumpe tuis. quis tendere contra
Te valeat generose Dolor? quæ viribus vlla
Vis obstare tuis valeat? scelera omnia vultum
Vt videre tuum, trepido dare terga pauori

 Festi-

Festinant. subitæ venturæ conscia cladis
Desertâ statione migrant, penitusque peribunt
Vt gemitus sensere tuos: vestigia nulla
Fœda relinquentur sceleri signata nefanda.
Ergo age, rumpe moras, operique accingere: iustis
Annue tu precibus; tu iustis annue votis:
Supplicis & dudum patientis probra Pudoris
Dilue diue Dolor: confringe Cupidinis arma,
Et durum ceruice iugum depelle Diones.
Talia dicta dabat Pudor, & Dolor aure legebat
Intentâ, ac dictis frendens hæc dicta reponit:
Solue metum venerande Pudor: vicina propinquant
Fata polo iam decreta, atque Ægyptia dudum
Idalio subiecta iugo, Venerisque catenis
Vincta diu, se se exoluet. visura verendæ
Dia Crucis monumēta sacram meditatur ad vrbem,
Niliacis sociata choris, Libycisque cateruis
Præpes iter Solymam. iussus Dolor, indice Cælo,
Ipse adero, & tantos iuuenis miserata labores
Dia parens aderit. vitæ commissa prioris
Ante oculos obiecta suos, cumulata recurrent,
Tartareis plectenda focis. mox vindicis iras
Numinis aspiciet: trepidabunt corda pauore,
Et gelido tremefacta metu tot Cypridis ignes
Abiiciet: stygio mens consopita veterno,
Experrecta, nefas, & noxæ pondus iniquum,
Luce videns meliore poli, fidentibus ausis,
Excutiet, vitæque modum præscribet Olympus.
Hæc Dolor, atque hilarem dimisit fronte Pudorem.
At Venus interea Solymam dum cernit ad vrbem,
Tot sibi deuotam fœdis labentibus annis,
Suscepturam iter, & sacræ pia signa salutis
Sup-

Supplicibus votis culturam ritè puellam,
Emerito suspensa metu; ne transfuga castris
Illa suis nunc terga daret, priscamque perosa
Idaliis vitam studijs, & fœda iuuentæ
Tempora ducta suæ, despecti signa Pudoris,
Consilijs edocta nouis, monituque salubri
Mox repetat, nato accito, sic mæsta profatur:
Nate, decus Veneris, caræ spes vna parentis,
Et paphius mihi solus honos, quo vindice latè
Imperium Cytherea tenet, regnumque per omnes
Mundi oras profert: cuius face cuncta calescunt
Pectora, & egelidus missis flagrat ignibus Orbis:
Liber ab igne tuo, pollenti immunis ab arcu
Quis fuerit cùm tela iacis? tibi iunior ætas,
Illecebris deuincta tuis, seruire laborat:
Nec iuga detrectat maturi temporis æuum.
Ipsa vel igne tuo niuibus conspersa senectus
Ardet, Acidalias intus fouet vsta fauillas.
Tu rigidos flectis sensus, refugosque, Cupîdo,
Ad tua iura vocas: præcordia ferrea vincis,
Mollirique iubes incluso semine flammæ.
Auxilijs nunc ipsa tuis Venus ipsa iuuanda,
Igne tuo genitrix venio. depellere cladem,
Omine quam læuo mihi mens malè præscia signat,
Nate, tuus labor est. Ægyptia docta per omnes
Ire artes Veneris, iuuenum sibi nectere amores,
Illecebris captare suis formosa puella,
Quâque magis nullâ victrix Cytherea superbit;
Quâ mea regna vigent; quâ crescunt agmina censu
Innumero deuota meo: quam flore iuuentæ
Adscitam excolui, studijsque, atque artibus auxi
Fœmineum super omne genus, nunc præpes in vrbem

Ire parat Solymam, sacrum visura triumphum,
Elatæque Crucis supplex cultura trophæum.
Quis sciat an melior sensus menti inditus omnem
Iuratam mihi lege fidem corrumpat, & omnes
Turpiter exactos annos exosa, tenorem
Instituat vitæ meliorem? crimen in omne
Sæuiat iratus iustus furor? ista dolore
Corde nefas abigat? noua fœdera iungat Olympo,
Atque ego turpè Venus genitrix neglecta labores
Tot frustra tulerim, & vacuâ spe ludar inanis?
Tu prior aggredere, & socius non visus euntis
Vsque adsis lateri: priscis vsque ignibus ignes
Adde nouos: nullis vibrandis parce sagittis,
Excussoque semel telo, noua tela ministres,
Intento neruo, cordis penetrale cruentet
Quæ tibi cunque manu volucris stat missa sagitta:
Vulnere sed dulci feriat. quæ gaudia dudum
Detinuêre, nouis iterum irritata voluptas,
Augeat illecebris: mentem simulacra figuris
Vsque Cupidineis repleant. Venus vna medullas
Corripiat totas: nullo non tempore fœdum
Sollicites incentor opus. ne flamma quiescat,
Neue modum ponat, sopitis ignibus vsque
Fomite pasta nouo gliscat. ne desit amator,
Vre nouos ad bella procos. Venus improba natum
His acuit dictis pronum. celer ille iubentis
Turpe ministerium, & matris mandata capessens,
Vrget opus, volucresque ciens leno impiger alas
Discessuram adit, & comitem se præbet eunti
Indeprensus Amor, scelerum consultor iniquus.
Impositum nec munus obit, nec iussa facessit
Lentus: nec matris solers noua cura fefellit

Spem

Spem Veneris. miserã laqueis, dum tendit ad vrbem,
Implicat ille nouis. sceleri calcaria prisco,
Et stimulos addit. laxat data fræna pudori,
Perque Dionæum stadium demittit habenas.
Crimen in omne ruit. sceleratis obstitit ausis
Non vrbs ipsa sacra, & mox inuisenda, per Orbem
Victricis, pia signa Crucis. polluta nefandis
Est vrbs ipsa nouis noxis, & crimine turpi.
Tantum fœda lues, longos durata per annos,
Et vetus est potis hæc Veneris captiua cupîdo.
Iamque propinquabat tempus, studiosa colendæ
Turba frequens peregrina Crucis, pia signa salutis,
Cùm se se inferret templo. atria longa patescunt,
Et templi patuêre fores. meat agmine denso,
Et remeat cultura Crucem pia turba; puellam
Cura eadem, studiumque tenet: tamen irrita tentat
Templi adytum, & quoties studio conata patentes
Sacræ ædis penetrare fores, miro impete retro
Est toties reiecta foras. ter surgit in ausa;
Vis arcana ter illam reppulit. ima cucurrit
Egelidus per membra tremor: pauor occupat artus,
Et trepido sudore fluunt. mox mente reuoluit
Ancipiti quæ dextra latens sua membra repellat,
Innectatque moras, gressumque retardet euntis,
Et sacrum remoretur iter: pia signa salutis
Illi vni venerata neget. patet omnibus æquè
In sacras ædes adytus, solique negatur
Victricem coluisse Crucem. dum talia secum
Mæsta reuoluebat, traxit sua lumina matris
Effigies veneranda Dei. Pudor ore minaci
Dextrâ parte adstat: læuam Dolor ore gementi
Virgineam sociatus habet. tum talibus infit

 Di-

Dia parens dictis: Quid tu iurata, Pudorem
Arma gerens dudum contra, fidentibus ausis,
Limina casta audes, purosque intrare penates,
Innumerum latura nefas, deuota nefandæ
Seruitio Veneris fœdo? Pudor obstat eunti
Difficilesque vias reddit. sua probra querelis
Vsque sibi renouata gemet? data vulnera quondam
Vsque recrudescent? infelix vsque cicatrix
Stet plagis adaperta nouis, semperque recenti
Sanguine stillabit? proiectum hunc cerne Pudorem,
Obsessum probris: nullâ non parte cruentum
Vulneribus tam turpè tuis. traducitur Orbem
Per totum, & nocuis linguis sua fama laborat,
Quòd iuga sustineat Veneris, quòd ferre catenas
Tempora longa diu cogatur. nullus amori
Tam fœdo tibi finis erit? voluêre per omnes
Vsque nouas scelerum formas? explebitur vnquam
Hic Veneris gurges? nati tam fœda vorago
Exaturanda venit quando? Pudor iste salubres
Ad pœnas te læsus auet. commissa luenda
Exposcit vindex. vitæ variare tenorem
Te iubet, vt fœdus renoues. Tremefacta puella
Virgineam sibi poscit opem, lacrymisque profusis,
In geminum reuoluta genu; quæcunque seueris
Supplicijs plectenda velit Pudor, omnia nutu
Spondet se laturam. votis annuit vltro
Dia parens, flecti facilis, precibusque precantum
Indulgere pijs prona, & largo imbre gementem,
Singultuque imo suspiria anhela trahentem,
Ore serenato, templi penetrale subire,
Et vitale Crucis germen, stygijque tyranni,
Atque Erebi truncum domitorem, supplice fletu

Iussit

Iussit adorandum. nihil illam tardat euntem:
Sistit, vt antè, gradum nihil, ardet & ire per omnes,
In meliùs conuersa, preces. cumulata rubore,
Et vultum demissa, sacrum venerata trophæum;
Cælestem sibi poscit opem. tot territa monstris,
Quæ scelerum fœdè ante oculos obiecta recurrunt,
Et vitæ infensæ Superis monumenta prioris,
Traductæ de more suûm; decreuit in omne
Supplicij transire genus; sibi Numinis iras
Emeritas toties, & diri fulminis ignes
Tormentis placare pijs, extinguere fletu.
Ad sua carnificem compellat vota Dolorem,
Vltoremque ciet luctum. præcordia iustis
Vulneribus laniata cupit. sua corda nefandis
Iamdudum polluta modis, torquenda per omnem
Ætatem spondet. pœnas migrare per omnes
Vult sensus, Veneris socios, scelerumque ministros.
His votis plenam, & studio meliore regressam
Excepit pia Virgo: simul iubet ire recessus
Trans sacras Iordanis aquas: loca sola, nec vllis
Humanis signata notis. comes additur illi
Et Dolor, & Pudor: hic iam fœdere iunctus amico.
Monstrat is nunc curre vias, generosa Virago,
His socijs comitata diu tibi prælia Ditis,
Et coniuratæ Veneris fœda arma parantur.
Tesqua quater denos, septemque inuisa per annos,
Teste polo, latebrosa coles. te solibus æstas,
Ardentique face exuret. candore repulso,
Vt decocta focis squalentia membra nigrescent.
Nec tibi parcet hyems, nec sæuæ frigora brumæ,
Sidere sub nudo. Cælo tibi frigus aperto
Expectandum, tritis vestibus. ossa recocta,

Et rugis contracta cutis teget arida. nullis
Mensa epulis oneranda tibi. ieiunia longa
Conficient macie tenuatos corporis artus.
Nulla relinquentur prisci vestigia vultus:
Ipsa tuis oculis ignota subibit imago.
Vna dapem, si quando fames sua dona reposcat;
Herba ministrabit: præbebit pocula lympha.
Nox vigilata diu tenues dabit atra sopores:
Prædurum tibi saxa torum: responsa loquenti
Vmbra silens, tacitumque nemus: sola astra tenebunt
Nocte oculos visenda tuos. contempta Dione,
Et pœnis stimulata tuis, consurget in iras
Priscis peiores. consurget in arma Cupido
Turpiter elusus: nec prælia sæua quiescent,
Post nisi quàm denos Phœbeo lumine Titan,
Orbe acto circum, septenos vexerit annos.
Interea stygias omnes te dira cohortes
Armabit contra. simulacra obiecta recurrent
Fœda voluptatum menti, turpisque iuuentæ
Otia per luxus traductæ. tetrica vitæ
Tædia; sollicitos non vllo fine labores,
Ærumnasque graues per tempora longa futuras
In censum studiosa dabit. tu fida Pudori,
Et socio per cuncta tuo bene fida Dolori
Pugnabis victrix. sistet te longa senectus
Victricem super astra poli. monumenta relinques,
Esse nefas nullum lacrymis non ritè piandum;
Omne scelus censu, numerosas vincat arenas,
Sitque immane licèt, longoque perennius æuo
Extentum; si ritè Dolor sit criminis vltor,
Et firmata nefas renuat patrare voluntas.

AMBITIO DAMNATVR.

QVò me Phœbe vocas, & quos intrare receßus
Cogis inexpertum? sunt hæc ignota superbis
Atria marmoreis circum suffulta columnis
Hactenus ampla mihi: non vnquam postibus hæsi
Talibus; aut limen licuit penetrare repôstum,
Et penitas subijsse domos. nouus hospes in Aulam
Ingredior, trepidoque metu peregrinus oberro.
Aula magis non vlla frequens, & limina nulla
Sunt mihi visa magis propero calcata tumultu,
Atque hominum cunctis auido quæsita labore.
Confluxisse vides ex omni gente supremi
Depressique gradus homines. se se omnis eundo,
Ac redeundo premens obnoxia turba petentum
Vix aperit stipata vias, aditumque recludit.
Hic frontem mœrore tegit, lacrymasque fluentes
Ægriùs ex oculis reprimit: stat pallor in ore
Illius, haud alius quàm quem Libitina feretro
Indulget deuota suo. secum ille profatur,
Et vix auditis verbis immurmurat: alter
Labra ferit morsu crebro, digitoque minatur.
Ille velut truncus stupido terrore rigescens
Languet iners, vitæque suæ vix munera sentit:
Hic pedibus supplodit humum: conuicia iactat
Ille, & Fortunæ insultat rabido ore malignæ.
Et paucos hilarem vultum frontemque serenam,
Phœbe, vides ferre, atque immunia pectora curis.
Tunc mihi sic Phœbus: Quantum te Pallas amica
Tegmine protexit valido, quantumque secundæ

Ca-

Castalides fouêre Deæ, quòd limine sedis
Esse procul dederunt huius; commercia nulla
Hac cum gente tuus genius quòd iussit habenda:
Sed secreta mei placuerunt culmina Pindi,
Parnassique iugum; mollis Permessidos vnda,
Aoniusque latex te proluit: vmbrifer ignes
Fulmineos repulit lucus, sacra otia vatum,
Laurigerumque nemus texit: loca nescia rixæ,
Tectaque sollicitis non vnquam peruia curis.
Has tenet Ambitio sedes, quâ sæuius vllum
Extulit haud vnquam monstrum fœcunda ferarum
Africa, vel Libye serpentibus inclita diris.
Non illam raptis catulis crudelior æquat
Tygris, & insanis furijs agitata leæna.
Amisitque vorax rabidum decus ira luporum:
Illi vrsos conferre pudet. censebitur anguis
Vipereus lenis. maculis conspersa triumphos
Sæuitiæ deuicta suos Panthera reponet,
Submittetque libens fasces probrosa cruentos.
Quòd mirere magis, tanto est immista furori
Nescio quæ blandæ illecebræ insidiosa voluptas,
Illiciumque sagax rapiendi pectora. spondet
Officiosa nimis verbis; quos spondet honores
Mox irata negat. sed tristis scena repentè
Vertitur: expulsos Syren malè fida reducit,
Delusique iterum redeunt. non pocula Circe
Talia; non herbas similes Medea recondit.
Probra vorant faciles, hilares conuicia potant;
Ima tenent humiles; fastigia mente reuoluunt.
Colla gerunt seruile iugum; suspirat anhelum
Pectus, & infelix dominandi vana cupido
Corda grauat, volucrisque boni deludit imago.

Allicit ad ſolium ſcandentes: dum prope culmen
Eſſe videt; malè fida gradus deturbat ad imos,
Gaudet & optatis fallax illudere votis.
Ad ſua quos præcepta vocat, monituſque ſeueros
Ambitio, eiurare fidem, commercia linguæ
Nulla iubet ſyncera dari: mendacia ſedem
Hanc coluiſſe cupit: fraudes regnare malignas,
Et tectos habitare dolos, ſtudiumque nocendi,
Officij ſub veſte tegi, laruâque iuuandi.
Nectareos det lingua ſonos, viruſque malignum
Corda tegant: felix optetur culmen honorum.
Fraus verſuta dolis meditetur cauta ruinas,
Sitque odijs instructus amor: neſcire propinquos,
Et conſanguineos nexus ſit adorea laudis.
Sit via per ſtrages regno, ſoliumque ruinis
Altiùs aſſurgat, trabeæque cruore rubeſcant.
Quo ſedet Ambitio faſtu tumefacta ſuperbo
Cerne thronum, variâ circum thaumantide cinctum,
Obiectumque oculis multo radiare colore.
Hîc genium, moreſque ſuos ſatis indicat. ingens
Hæc ſpecies animum dabitur raptura tuentum,
Et votis ceſſura ſuis. vaneſcit in auras
Ocyùs, & pompæ cunctæ periere caducæ.
Nam quid ego miſeros memorem per cuncta labores,
Ærumnaſque pati iuſſos? lex hæc data cunctis
Quos laniena ferox, & tortor claudit Aſylum,
Tartareique lares; vitam duxiſſe libenter
obiectam, preſſamque malis: opprobria vultu
Ferre hilari ſemper; verba aſpera voce ſilenti
Suſtinuiſſe queant: accepta rependere crebris
Obſequijs malè facta nouis: iactura pudoris
ſit cenſenda decus: conceptum corde dolorem

Fron-

Fronte tegant lætâ, risu simuletur amico.
Irrita si fuerint, si fortè petita negentur;
Non secus ac concessa putent: contemptus iniquus,
Emeritus ducatur honos: iniuria gratus
Sit reputandus amor: referant conuicia laudem.
Sed numerare alios, quos anxia turba labores
Sustinet, & duræ probrosa incommoda vitæ,
Non vllus mihi census erit satis. otia nulla,
Nulla quies indulta venit: data tempora lucis
Iure labor sibi vindicat improbus. vmbra sopori
Sit concessa licèt, venientis Solis ad ortum
Sæpe tenet vigiles. si furtim membra reclinent,
Excitat ad pensum vox improuisa iubentis,
Et somnum terrore fugat. pallescit in ore
Exaturata fames nunquam. vidêre sedentes
Nulla illos momenta diu: sed stare iubentur
Ad vocem auriti, atque ad nutus turpè ruentes.
Scire cupis, quales homines hæc aula recondat,
Ambitioque fouet, summoque in culmine ponit?
Ignauûm de gente pecus; quod magna Potentum
Gratia, sublimisque fauor conscendere in altum,
Icariisque dedit pennis pertingere culmen.
Cui seruile iugum fœdæque abiectio mentis,
Ingenuis indigna viris, tribuere penatum
Immeritos aditus, reserarunt limen honorum.
Hunc sua calliditas, & felix criminis ausum
Extulit: illi nobilitas, ac solus auitus
Sanguis, cætera degeneri, diademate cinxit
Tempora. ruperunt alij sibi ferrea claustra
Ariete prævalido fulgenti diuitis auri,
Et quascunque fores infringere, atque arma potenti:
Illis cæca dedit nullo Fortuna labore

Sublimes tenuisse gradus. Quis talia tentet,
Mente valens sanâ, penetralia fœda subire,
Et stygios coluisse lares? est munus Olympi,
Quòd procul esse dedit tali de sede: nec vnquam
Ista frequens optata hominum laniena recepit.
Sat tua culta tibi Pallas: sat libera curis
Otia: sat nullo mentis turbata tumultu
Musarum studiosa quies, doctique recessus.
His alitur studijs Virtus: hoc lumine in vmbris
Ingenium meliore nitet: mansura paratur
Quo te cunque feras, nec defectura supellex
Ingenij; egregio discendi digna labore,
Indiga non opis alterius, nec parta fauore
Vsque manens; nulli Fortunæ obnoxia casu.

QVID SALVBRITER Meditandum.

Mens cognata polo, fax abditi, penna volucris,
Per cũcta indeprẽsa meãs, nec carceris vllo
Corporei nexu religata tui: oblita limo
Non vllo sociata luto. compage grauata
Terrenâ & sis mole licèt, leuis ardua tentas
Et Mundi super astra volas. tu viuida virtus
Membra inter moribunda viges, & nescia lethi,
Funereis comitata malis, sociata feretro,
Immortale decus retines, spernisque superbæ
Tela necis vibrata manu: tamen inclita mentis
Hæc decora, egregias vires, queis vsibus aptat
Igna-

Ignauum mortale genus! quæ ad munera vecors
Diuinum frustratur opus! nocitura tuenti
Indagare lubet. molles, quas lena voluptas,
Senticomis conspersa rosis, mellita venenis,
Delicias gremio foueat: quos æmula fastus
Ambitio quæsita tegat. vestigat honores
Per duras operosa vias: perstringitur auri
Assiduo fulgore obiecto: flagrat in omnes
Illecebras: rimatur opes: indagine quærit
Irrequietâ hominum quicquid malè sana cupido
Prosequitur; fluxis inhiat: prona incubat imis,
Terrenisque bonis. illi natalis origo,
Et genus vnde venit, pensi nil immemor vsque
Deses habet, contempta iacens. sublimis Olympi
Cura illam non vlla tenet: vota omnia Tellus
Insidiosa rapit: pariunt fastidia sedes,
Et patrij conuexa poli. his, humana propago,
Te Pietas mentem studijs, mage sana magistra,
Auxilijs intenta tuis, lucrisque parandis
Applicuisse negat: meliores voluere curas
Edocet ingenium, & studio incubuisse salubri.
Ire foras te mente vetat; lustrare recessus,
Et cordis penetrale tui te impensiùs optat:
Hic etenim egregius labor est: hæc est vera sciendi
Notitia, & mentis cupidæ laudabilis ardor.
O quantum te noße iuuat! gens indiga veri,
Luce nec ætheriâ fidei, radijsque coruscis
Cælestis perfusa vllis, sed lumine tantùm,
Atque ope Naturæ hæc didicit documenta magistra.
Huc oculos conuerte tuos, rimare recessus,
Arcanasque animi latebras: introspice totum
Naturæ solertis opus: quod conditur intus,

Quod-

Quodque foris lustrare decet: tibi cuncta tumoris
Argumenta cadent: subitò vilescere fastus
Incipiet quicunque tuus. Quid frontis honores
Præcelsæ miraris iners? depressa iacebit
Frons, humili calcata manu. Radiantis ocelli
Lumine corriperis? mortis caligine tectum
Experiêre breui. Formæ speciosa venustas,
Et veris florentis honor, lætæque iuuentæ
Pubertas extollit? mox languebit ab æstu
Omne decus febrile tuum. Quin mente reuoluis
Vitam hominum fumo similem, similemque vapori
Difflando breuiore morâ? velociùs vmbrâ
Præteriêre dies: trudit festina sequentem
Hora sequax horam: tergo incubat ista vicissim,
Protruditque aliam: perimunt se cæde volucri,
In frusta, & momenta secant. heu fluxilis ætas,
Annorumque fugax spatium! ceu fluminis vnda,
Præcipiti delapsa iugo, cita labitur omnis
Vita hominum. curis te talibus instrue: mentem
Hæc meminisse doce: hîc fixis obtutibus hære.
Sed meditata diu vt fuerint versatilis vmbræ
Ludibria, & raptim fugientis somnia vitæ,
In mortem conuerte oculos. Te territet horror
Oris atrox nullus, metuendæ & frontis imago,
Vel species armata minis: hinc namque regendæ
In meliùs vitæ capies documenta magistra,
Et rectum virtutis iter, monitusque salubres
Discere ritè queas. Viden' vt mors horrida vultu est,
Ante oculos obiecta tuos? viduata capillo
Turpis calua patet, stant ossea tempora honore
Tecta comæ nullo: vultus exasperat horror,
Et frontem mærore tegit: sunt probra relicta

Ignauum mortale genus! quæ ad munera vecors
Diuinum frustratur opus! nocitura tuenti
Indagare lubet. molles, quas lena voluptas,
Senticomis consperſa roſis, mellita venenis,
Delicias gremio foueat: quos æmula fastus
Ambitio quæſita tegat. veſtigat honores
Per duras operoſa vias: perſtringitur auri
Aſſiduo fulgore obiecto: flagrat in omnes
Illecebras: rimatur opes: indagine quærit
Irrequietâ hominum quicquid malè ſana cupîdo
Proſequitur; fluxis inhiat; prona incubat imis,
Terreniſque bonis. illi natalis origo,
Et genus vnde venit, penſi nil immemor vſque
Deſes habet, contempta iacens. ſublimis Olympi
Cura illam non vlla tenet: vota omnia Tellus
Inſidioſa rapit: pariunt faſtidia ſedes,
Et patrij conuexa poli. his, humana propago,
Te Pietas mentem ſtudijs, mage ſana magiſtra,
Auxilijs intenta tuis, lucriſque parandis
Applicuiſſe negat: meliores voluere curas
Edocet ingenium, & ſtudio incubuiſſe ſalubri.
Ire foras te mente vetat; luſtrare receſſus,
Et cordis penetrale tui te impenſiùs optat:
Hic etenim egregius labor eſt; hæc eſt vera ſciendi
Notitia, & mentis cupidæ laudabilis ardor.
O quantum te noſſe iuuat! gens indiga veri,
Luce nec ætheriâ fidei, radijſque coruſcis
Cæleſtis perfuſa vllis, ſed lumine tantùm,
Atque ope Naturæ hæc didicit documenta magiſtra.
Huc oculos conuerte tuos, rimare receſſus,
Arcanaſque animi latebras: introſpice totum
Naturæ ſolertis opus: quod conditur intus,

Quod-

Quodque foris lustrare decet: tibi cuncta tumoris
Argumenta cadent: subitò vilescere fastus
Incipiet quicunque tuus. Quìd frontis honores
Præcelsæ miraris iners? depressa iacebit
Frons, humili calcata manu. Radiantis ocelli
Lumine corriperis? mortis caligine tectum
Experiêre breuî. Formæ speciosa venustas,
Et veris florentis honor, lætaque iuuentæ
Pubertas extollit? mox languebit ab æstu
Omne decus febrile tuum. Quin mente reuoluis
Vitam hominum fumo similem, similemque vapori
Difflando breuiore morâ? velociùs vmbrâ
Præteriêre dies: trudit festina sequentem
Hora sequax horam: tergo incubat ista vicissim,
Protruditque aliam: perimunt se cæde volucri,
In frusta, & momenta secant. heu fluxilis ætas,
Annorumque fugax spatium! ceu fluminis vnda,
Præcipiti delapsa iugo, cita labitur omnis
Vita hominum. curis te talibus instrue: mentem
Hæc meminisse doce: hîc fixis obtutibus hære.
Sed meditata diu vt fuerint versatilis vmbræ
Ludibria, & raptim fugientis somnia vitæ,
In mortem conuerte oculos. Te territet horror
Oris atrox nullus, metuendæ & frontis imago,
Vel species armata minis: hinc namque regendæ
In meliùs vitæ capies documenta magistra,
Et rectum virtutis iter, monitusque salubres
Discere ritè queas. Viden' vt mors horrida vultu est,
Ante oculos obiecta tuos? viduata capillo
Turpis calua patet, stant ossea tempora honore
Tecta comæ nullo: vultus exasperat horror,
Et frontem mœrore tegit: sunt probra relicta

Bina auris: nares exedit fœda teredo,
Et tumuli miseranda lues: texere lacunæ
Tetræ oculos geminæ: lumen rapuêre cauernæ.
O vbi purpureus labris color inditus! ora
Fœda patent obducta situ: longo ordine dentes
Ante fores extant, pauido & terrore repellunt.
In cineres abiere genæ: decus omne venustum
Defluxit miserè: superat visu ossea crates
Horrida, necnon costarum malè textilis ordo.
Sicca seges crurum; arentes informè lacerti,
Et femorum probrosa lues. obtutibus hære
Fixiùs, & crebro spectâcla hæc tetra reuolue.
Hæc eadem te probra manent. quis mortis ab ictu
Extrà erit? in cunctos certè lethalis arundo
Collimat: nunquam iactus sua tela fefellit.
Nec, memor obsequij, feriendi tempora certa,
Atque modum seruat; moderatur nota libido
Exlex, atque suo indulget malè sana furori.
Esse decet vigilem, subitò ne subruat arcem,
Perque dolos tibi bella creet. quæ cura salubris
Esse tui poterit, si mors inopina valentem
Strauerit, & vegetas vires colliserit omnes?
Tunc tua nec mentis constat tibi viuida virtus,
Nec prior ille vigor consueta ad munera vitæ:
Non vigil ingenium, aut operi experrecta potestas;
Nulla tibi nocturna quies, non vlla diurna
Membrorum tormenta leuat: tremor occupat artus,
Egelidusque humor. sæuit mox æstibus ardor,
Et gliscunt succensa tuis incendia membris,
Febrili renouata face: indefessa dolorum
Sæua cohors instat morienti: pectora anhelus
Spiritus exagitat: singultibus ora fatigat,

Spi-

Spirandique vices intercipit: algidus artus
Sudor habet:luctãtẽ animã,atque extrema trahẽtẽ,
Deliquijs angor premit. anxius exue nexus
Difficiles, Anime infelix, teque eripe vinclis
Corporeis: tandem ſocialia fœdera rumpas.
Rũpe fores,Anime,atque obſtãtia clauſtra refringe,
Teque malis tantis ſubducas. incubet ardor
Humanus,rebuſque inhiet ſine lege caducis,
Hiſque miſer ſua vota ſacret: mors omnia iactu
Vno ſubripuit: ſpes omnes riſit inanes
Surdior, & curas hominum inſidioſa fefellit.
Delicijs nunc fide tuis; tibi blanda voluptas
Præſtet opem quæſita diu: natalis origo
Splendida tutetur: ſuccurrat faſtus auitus,
Et decora ampla domus:celebres comitẽtur honores,
Diuitiæque tuæ veniant poſt terga ſequaces:
Ante vrnam hæc cuncta tuam veſtigia ſiſtent:
Ferre gradus vltra nequeunt:malè facta ſequentur,
Et bene facta vias. Superi mox Iudicis ora,
Horrendùmque minax indictâ lege tribunal
Egelidus terrore ſubis. non ſuetus in ore
Fulget honos illi: non vultus ridet amœni
Gratia: non illi ſunt lenia verba loquenti,
Non blandi ſermonis amor: metuenda ſeueræ
Maieſtas frontis terret: ſcintillat in iras
Lumen vtrumque minax ardentis fulminis inſtar.
Vox horrenda tonat. properè vitæ acta prioris
In cenſum venient. nullius criminis auſum
Se à cenſu rapiet: cordis ſecreta pateſcent,
Arcanique ſinus: latebras rimabitur omnes
Non vnquam falſus luſtrator mentis acumen,
Exactique memor. fruſtra fraus ſubdola technis

Se texisse suis cupiet. qui pectora liuor
Inuisus consumpsit edax, se pandet eoo
Lumine: crudelis latitans spectabitur ira,
Et sitis, humani nunquam exaturata cruoris.
Omne oculos scelus effugiens indagine cunctis
Esse palàm dabitur. minimis censura tuentis
Acris erit. risus, verbumque volatile linguæ,
Atque oculi iactus tenuis, mentisque vagantis
Culpa leuis plectenda venit. tua crimina teste
Cernes innumero coram. accusator ab omni
Syncerus se parte dabit: loca conscia, cæcis
Tecta vmbris, noctis nigris obducta tenebris,
Monstratura nefas, atque abdita facta nocentis
Pectoris occurrent. stygius te sedulus hostis
Arguet euictum. pernox custodia Cœli,
Et comes vsque tuis præsens tutela periclis
Aliger adiunctus lateri damnare nocentem
Criminis, atque reum gaudet: spreuisse iuuantem
Sæpius obijciet: monitus renuisse salubres,
Consilijsque pijs aures sepsisse, rigentis
Aspidis in morem; innocuo testabitur ore.
Lumina quid frustra lacrymarum rore madescunt?
Ore quid incassum voces effundis inanes,
Et supplex in vota cadis? suspiria tempus
Respuit, estque precum vis irrita: Iudicis aures
Occlusere fores: amisit causa patronos,
Nec iuris spes vlla datur: sententia constat,
Atque immota manet, nullo reuocabilis ausu,
Æternis firmata notis. Clementia retrò
Muta silet: Pietas trepido suffusa pudore
Exorare pauet: iustus rigor omnia lance
Librat, & emeritas statuit pro crimine pœnas.

Non

Non his meta malis dabitur, mens territa: restat
Supplicium maius, pauidè quod cura reuoluat,
Et pendat studiosa magis: tu immane barathrum,
Infernumque chaos intra. Cæca, horrida, centrum
Telluris spatia ampla tenent: caliginis atræ
Horror habet; nigræ densantur noctibus vmbræ:
Exilio damnata dies inimica refugit
Vmbriferas sedes, æterno lumine cassas.
Perpetuis succensa focis immensa vorago
Ardet inexpletùm: piceæ terrore cauernæ
Fumant: non vllis radiat splendoribus ignis,
Semper edax, semperque vorax. ludicra, Vesene,
Sunt flammæ tormenta tuæ: nil ignibus Ætna
Se stygijs conferre valet; depicta tabellis,
His collata focis, incendia vestra notantur.
Heu vindex, decreta polo, custodia pœnis,
Æternis firmata sêris! non vlla potestas
Obstructas adamante fores, & cardine firmo,
Dissoluisse potis: frustra conabitur ætas
Dente vorare suo: inconcussis postibus hærent.
Hæc loca quis teneat fixis obtutibus hauri.
Infelix habitat Dolor: irrequieta gementum
Vox audita sonat: reboant stridore cauernæ:
Vndique lugentum tristis respondet imago.
Hæc Mæror data regna tenet; sunt inuia claustra
Lætitiæ: sunt iußa procul Solatia ferre
Interdicta gradus: commercia nulla quieti
Sunt data poscenti: Labor improbus omnia flectit,
Et sceptrum Tormenta regunt. heu lumina terrent
Tortores stygij, fœdis simulacra figuris,
Horrendas Lemurum formas & spectra nigrantes
Induti, ardentes acuunt terroribus iras,

Et rabiem exaturant: gaudent torquere nocentes.
Quidquod Flamma vorax, totos infusa per artus
Assiduo feruore coquit? sedet intima fibris,
Nec remouenda, flagrat: morsu consumit edaci,
Atque indefessis ignitis dentibus hæret.
Exoluiße nefas illam; nexu alligat acri,
Rumpendo nunquam: vindex comitatur euntem
Quo te cunque feras. Quîd cætera monstra malorum
Enarrare queam? labris Sitis ardet anhela,
Et fauces vrit, nullo potanda liquore,
Amne vel exiguo stillatæ fluminis vndæ.
Viscera, more canum, Rabies consumit edendi
Semper hians bene pasta magis. graue olentis odoris
Fœda lues; putrem exhalantia stagna Mephitim
Vsque dabunt corrupta situs, & flaminis haustus
Infectos putore graui. Meminisse podagræ
Assiduos morsus; ferientis cuspidis ictûs,
Totaque carnifices torquentes membra tumores,
Lusus erit, blandusque dolor. lapidescere duris
Ilia, concretis viscoso humore lapillis,
Nil conferre iuuat. vexantia tormina corpus
In censu esse pudet: laudem amiscre dolorum.
Quantum sæua vnquam Mortis laniena repôstum
Maiora ad tormenta tenet; studiosa Tyrannis
Quantum vnquam curâ solerti repperit, iram
Expletura suam, & rabiem pastura nefandam;
Vmbra theatralis, ludîcra & scena dolorum,
Cum stygijs collata focis, censebitur. ô nunc,
Tantale, quîd referas sitientia labra fluenti
Flumine delusa, & fallentia poma sequacem
Incassum vicina famem? Quîd, Sisyphe, pondus
Saxi immane doles reuoluti semper ad ima,
Cul-

Culmen & vnde ruit semper super ire coactum?
Læte tuo, Ixion, orbi gratare rotanti:
Nec depellat auis pascentis viscera rostrum,
Et iecur enascens Titius: sit pœna, leuamen.
Quæ tormenta parit vindex agitata furore
Flamma vorax Erebi, diuinis flatibus aucta,
Mens non vlla tenet: Fide sunt discenda magistrâ.
Sed non hæc data meta malis. Quâ cuspide pectus
Transfoditur penitâ? quo vulnere corda fatiscunt,
Cùm pœnis defixa suis hærere coacta
Mens aliò nequeat diuertere? cùm exul Olympo,
Amissas nunquam sedes habitura beatas
Illa erit? æterno semper caritura corusco
Numinis aspectu, & meritis damnata tenêbris?
Spes alitur frustra. decurrant sæcula tempus
Innumerum; innumeris voluantur cursibus anni;
Plurima Olympiadas venturas digerat ætas;
Nata recèns semper venient primordia pœnis,
Natalisque dies ærumnis: littoris antè
In numerum cunctas reuocabis censor arenas,
Oceani numerabis aquas, numerabis Olympi
Sidera, siluarum frondes, & veris aprici
Flores, pubentes omnes telluris honores,
Quàm pœnis sit meta tuis. Imperuie menti,
Æterne heu sine fine tenor! tua terga sequendo
Ingenium deses subsistit: penna volucris
Lenta iter insequitur, longo spatioque recedens,
Desperat reperire vias, cursumque fugacem
Ritè notis nullis signatum. sedula cura
Ingeniumque sagax, vestigia cæca, recursus
Obliquos, labyrintheas scrutabitur omnes
Ambages meliùs, tua pòst, quàm terga sequatur.

Qui tibi ſenſus erit? quæ mens, humana propago,
Cùm te ſponte focis ſtygijs damnaueris? vltro
Quæſieris tantas merito pro crimine pœnas,
Immemor æternæ? Irritatæ vindicis iræ,
Ne tua fœda foret votis fraudata libido,
Audendique eſſet ſceleri conceſſa poteſtas
Indulgens quæcunque tuo. nunc mente reuolue,
Quo te fœda, breuis, ſtudio quæſita voluptas,
Libera, quo ſceleri ſemper data fræna nocenti,
Quo neglecta diu tandem mandata Tonantis
Eſſe loco iubeant. blandæ momenta fugacis
Illecebræ æterni parient tormenta doloris.
Sed reuocare gradum ex imis, cæciſque latêbris
Iã modò tempus adeſt, mens territa. ſuſpice Olympũ
Et patrij decreta Poli tibi regna beata,
Si quando tua te virtus erexerit, vni
Et parêre Deo facilis, conſtanſque voluntas,
Et ſua iuſſa ſequi dederit. tua lumina fige,
Et Cæli conuexa priùs formoſa tuere,
Quodque in fronte patet cupidis rimeris ocellis.
O quâm pulcra nitet facies ridentis Olympi,
Cæruleo curuata ſuo vaſtiſſima gyro,
Solis, in auroram, radijs luſtrata diurnis,
In noctem innumeris ſtellis fulgentibus apta!
Eſſe lutum reputes quicquid Terra indiga iactat.
Splendidius: fœdè decreſcunt maxima cuncta
Cum minimis collata ſuis: vileſcit opimum
Et locuples quodcunque putat terrena cupîdo.
Obtutu rimare tuo queis mœnibus vrbem,
Æternaſque domos diâ ſubſtruxerit arte,
Et mirum fundârit opus ſtellantis Olympi,
Cælicolis habitanda ſuis, ſine fine beandis,

Cura ſagax, ſtudioſus amor, flagranſque voluntas
Numinis; haud vllo officio præuenta, ſed vltro
Indulgens, ſtimuliſque ſuis agitata benignis.
Immenſùm ſpatia ampla patent, plateæque nitentes,
Oblita non vllo limo. calcabitur aurum
Subſtratum pedibus: conſurgunt mœnia gemmis
Inſertis pretioſa ſuis: ſplendore coruſcant
Effræni, & Solis nitido fulgore pudendo.
Nixa adamante micant vrbis fundamina, & omnis
Atria cùm foribus ſpecies pretioſa lapilli
Grata oculis, decorat. liquidi quæ gratia Cœli,
Et facies iucunda Poli! non vlla ſerenum
Auſa ſuum violare diem, nigroque vapore
Nubes inficere. exilio damnata perenni
Horret hiems huc ferre gradum: rigor omnis abactus
Neſcit iter vetitum: flagrans, & noxius æſtus
Iuſſus ab vrbe procul gelido terrore refugit.
Æterno plaga vere nitet, nec flore caduco
Vernat ager: radiant æternis floribus aſtra.
Quis ſocios cœtus, & amicæ mutua linguæ
Illibata queat commercia grata referre,
Non vllis violanda odijs? pax candida cunctos
Vinciet æterno nexu, certamina pugnæ,
Et rixas procul eſſe iubens: certamen amicum
Vnus aget bellator Amor: ſtudioſa voluntas
Quæque aliam cupidè ſibi nectere quæret amantem,
Hærebitque ſuis votis: mens omnia concors
Concordi cum mente geret: nec diſtrahet vllum
Diſſidium ingenij, aut pugnax ſententia mentis.
Vox eadem cunctis, eadem argumenta loquendi
Numinis in laudes: ingentia Numinis orſa,
Et decora, & ſpecimen complebunt ora loquentum.

Parua sed ista tamen quid me & leuiora morantur?
Maius opus restat. cupidè meditanda beatæ
Gaudia sunt vitæ. liquidis venit hausta voluptas
Contemplanda tuis obtutibus. ora tueri
Æternùmque frui dabitur cùm Numinis; ô tunc
Ite procul cunctæ illecebræ: terrena valete
Gaudia: quæque tuis pedibus calcanda voluptas
Et nullo iaceat pretio dignanda. beatus
Obtutus rapiet mentem. sic Numinis ora,
Formosumque decus, necnon præstantia vultus,
Innumeris cumulata bonis, sibi vindicat omnes
Egregias animi vires, & nexibus arcet,
Se nunquam vt soluisse queant. dulcedo per omnes
Se infundit diuina sinus, penetratque repôstas
Tota animæ latebras, replet liquefacta medullas.
Nec secus in mentis fibras illapsa penêtrat,
Ignea quàm ferri in penitas incendia venas,
Inque suos ignes immutans flamma metallum.
O tibi quæ nullo velamine tecta patescent,
Cùm dabitur dios æternùm cernere vultus,
Mentis & obtutu penetralia cordis adire,
Quæ nullis hominum licuit, dum degeret ætas
His inclusa malis, membrisque infusa caducis!
Tunc tibi luce palàm diæ præstantia mentis,
Consiliumque ferax vastum; tunc summa potestas,
Robur & immensum; tunc prouida cura regendi
Res hominum, Mundique vices: tunc fusa per Orbem
Præsens Maiestas, & nullo limite clausa;
Tunc rigor emeritus, vindex & criminis ira,
Et data pœna malis: tunc indulgentia clemens,
Et mitis pandetur amor, studiumque benignum
Parcendi. Quodcunque tegit sublime, venustum,

Miri-

Mirificum, cupido Numen dabit ore fruendum.
Hîc tibi tuta quies, nullo turbanda labore,
Gaudia, non vllo tristi miscenda dolore;
Mens secura sui, nullo quatienda pauore:
Quæ possessa tenes, nullo rapienda furore.
Quicquid aues, tibi Numen erit. syncera voluptas,
Quam non vlla vnquam teneant fastidia: Robur,
Nulla quod annorum reuolubilis atterat ætas;
Pubescensque vigor, quem nullus feruor adurat,
Diuitiæ, quas nulla rapax manus auferat: ampla
Regna, vllus nunquam quæ pugnax territet hostis.
Hæc bona cuncta tibi iurato fœdere tempus
Æternum spondet: pleno torrente voluptas,
Semper & expleta, & nunquam satiata cupido.
Indefessa vigent gaudendi tempora: prisca,
Et noua semper erunt. tandem sperata tenentur,
Et votis indulta tuis spes anxia nulla est.
O tua, Diue potens, patrio me reddat Olympo
Quando erit vt pietas? Quîd Mors mea stamina vitæ
Dissecuisse negas? optatis finibus exul
Ætas longa diu, miseros producta per annos
Est mihi, satque datum terris. suspiria crebra
Æternis inhiant laribus: mea vota reposcunt
Ætherij conuexa Poli, fontemque perennem
Ardet anhela sitis. statio fidissima Cæli,
Non vllis infensa notis, iactata procellis
Non vllis, quando emenso tua littora tangam
Hoc æui, vitæque salo, tumidoque profundo?
Hoc me quousque tetrum religatum carcer habebit
Corporis? auolet exutis mens libera vinclis
Tandem, Diue, tuo amplexu meliore tenenda.
Occiduos hæc vita dies, tempusque caducum

Fi-

Finiat: æterno tandem donetur Evo,
Nec defecturâ Cœlesti luce beetur.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

TVRPIVM POETARVM Lectio damnatur.

ARma mihi contra te nunc sumuntur, Apollo,
Et mea Musa tibi carmine bella mouet.
Est animus molli certamina ferre Poësi,
Et fœdè teuerum plectere carmen, amor.
Sed quid ego aduersum te prœlia, Phœbe, canendo
Ferre putem? tua nunc iura tuenda rear.
Obscœni nunquam tu, Phœbe, es carminis auctor:
Casta tua hæc renuit fœda referre lyra.
Tuta Cupidineo tua semper laurus ab igne:
Illa nec est vnquam Cypridis vsta face.
Vosque mea nunquam flammæ læsere, Camœnæ;
Sorduit hoc nunquam Castalis vnda luto.
Carmina corrupit Veneris cœnosa voluptas:
Corrupit Vatum carmina fœdus Amor.
Est hominum vitio virgo corrupta Poësis,
Et Rabulæ ingenuum prostituêre decus.
Ingenijs ars nata bonis studiosa colendis,
Erudit ad nocuum, blanda magistra, nefas.
Turba Poëtarum fœdâstis adultera versus:
Nec retinent vultum carmina casta suum.
Seu Latio incedat, seu cultu incedat Etrusco,
Probra pudicitiæ turpè Poësis olet.
Quid nisi, Naso, tuam redolêt tua Scripta Corinnam?
Delia carminibus dicta Tibulle tuis.

Cin-

Cinthia cura prior reuoluta per ora Properti:
Ponè subit blandis dicta Neæra modis.
Lesbia turpè sonat versu celebrata Catulli:
Turpiter in puro carmine culta nitet.
Vsque tuas laudes retulit tua, Galle, Lycoris.
Et tua sub niueo vertice flamma flagrat.
Callimachi narrare pudet scelus omne nefandum,
Et mea tam fœdum Musa recusat opus.
Culta, Marine, tui vulgati carmina Adonis
Commemorare pudet, carmina digna rogo.
Increpat hos cunctos iratâ fronte Poësis:
Laidos in censu, Traidos esse queunt.
Sic fœdare placet veneratæ dona Poësis?
Nomen Apollineum sic temerare iuuat?
Ite procul, Vates, Veneris quos abripit æstus:
Nec nisi carminibus fœda Thalia sonat.
Inter Apollo suos renuit censere Poëtas:
Fœda est virgineo Musa repulsa choro.
Carmine vos molli iuuenilia robora mentis
Frangitis: in vestris floribus anguis adest.
Dulcia lethiferum propināt verba venenum:
Colchica sæua intus toxica tecta latent.
Puniceis conspersa rosis, & vere renident
Verba; verecundus stat procul inde pudor.
Nectareo sermone Charis, numerisque venustis
Blanditur: stygius sed mouet arma furor.
Dictio candorem præfert bene culta niualem;
Polluit at mentem turpis imago notis.
Delectat facili decurrens tramite versus;
Dedidicit rectas currere vita vias.
Illabitur blandè numerosum carmen ad aures;
Noxia sed carmen lena pudoris erit.

Inno-

Innocuâ qui mente legis, mox, fœda legendo,
Edifcis tacitâ voluere mente nefas.
Iuppiter auratum Danaen conuerſus in imbrem
Polluit: hinc potuit furta docere Venus.
Turpiter in niueum volucrem ſe finxit olorem;
Hac arte edocuit fallere tecta Venus.
Lubricũ iter, facileſque vias Venus improba mõſtrat;
Difficile eſt ſtabili figere mente gradum.
Sponte ſuâ Iuuenis laxis decurrit habenis:
Addere quîd calcar, fœde Poëta, placet?
Ignorant quod ſæpe nefas tu carmine monſtras,
Peccandique aperis, quæ latuêre, vias.
Audaces ſceleri reddes: exempla iuuentam
Exacuunt: facinus facta relata docent.
Sirenum fatale genus, lethumque canorum,
Ad ſyrtes Iuuenes, ad vada cæca trahis.
Fœda legunt oculi; nocuo cor vritur æſtu:
Et damnanda focis Scripta dedere faces.
Anne Cupidineâ calamum traxiſtis ab alâ?
Idaliâ an iacitis ſpicula ſæua manu?
Cætera ſollicitè vitanda perîcla monemus;
Talorum iactus, alea, damna creant.
Et Iuuenes epulas; feſtas vitare choreas;
Et vitare ſagax læta theatra mones.
Quæque nocere queunt commercia cuncta cauemus:
Et prohibere nefas cura laboris erit.
Deſidiâ victos mox caſtigamus inertes:
Otia nam Iuueni noxia damna parant.
Nec decet vſque vagos, molleſque errare per vrbem:
Sæpe domi expediet diſcere ferre moras.
Venari interdum libeat: tamen vſque ferarum
Teſqua ſequi; ingenuum eſt lædere turpe decus.

Car-

Carpimus, immodicos gestent si tempora crines;
Si coma fœmineam visa referre comam.
Et matutino subducere membra sopori
Cura vigil: reddit languida membra sopor.
Iurgia rixarum; verbosæ semina litis
Auertisse iuuat: sæpe tulere necem.
Ah caueas probro linguæ læsisse nocenti:
Mucro etiam linguæ vulnera sæpe tulit.
Neu fastu tumeas; vultu ne incede superbo:
Nullus erit socio fœdere iunctus amor.
Hæc monuisse iuuat; fœdos legisse Poëtas
Prouida consilij cura monere negat.
Non hærent oculis rerum simulacra legentum,
Sed faciles ineunt ad tua corda vias.
Fœda reuoluuntur mente, & reuoluta recurrunt,
Atque animo tandem sæpe voluta placent.
Exiguæ primò latitant mala semina flammæ;
Sed dabit ingentes parua fauilla faces.
Immittit se se paullatim lena voluptas:
Mollia mox valido robore corda quatit.
Hinc iterata diu vitiorum turpis imago
Vsque redit; rediens fœda reuolu t opus.
Ah cupidos auerte oculos: in carmine pellex
Tecta latet; leno versus iniquus erit.
An scelus esse putes turpes vidisse figuras;
Carmine & in turpi crimen inesse neges?
Peior inest Scriptis obscœnis culpa libellis:
Crimina quæ referunt, turpe patrare docent.
Hac ego quot vidi pellectos molliter esca,
Incautos laqueis inseruisse pedes!
Hausta oculis mollis franget tibi robora mentis
Dictio: mellitus sermo venena dabit.

Ille-

Illectus releges nitido candore libellos:
Fœda tibi lecto è carmine parta lues.
Inspersos quos fronte gerant sectabere flores,
Spinea sed cuspis fixa superstes erit.
Hos tu pelle libros; virosos pelle colubros:
Vre focis, niueus ne flagret igne pudor.

CALAMI LAVDES.

FRonte vereeundum deponere, Phœbe, ruborem,
Et Calamum iussis præcipe stare tuis.
Illius in laudes dum carmen scribere tento,
Pigrior impositum carminis vrget opus.
Illum fortè pudet præconia texere laudum;
Prægrauat atque leuem tam graue molis onus.
Est tamen audendum. cœptis meus adsit Apollo,
Vtque soles, facilis tu mihi, Musa, faue.
Laudis opus meritum aggredior: laus turpè negatur:
Nullum ope non Calami laudis in Orbe decus.
Mens hominum, Cœli suboles, pennata propago
Ætheris, excerptum Solis ab axe iubar:
Ignea fax, vigor igneus, orbis & ala volucris
Exigui, æternum nata referre genus;
Quid Calamo deserta fores? quæcunque repôsta
Scrutaris; solers abdita quæque tenes,
Immemori exciderent; obliuia tetra fugarent;
Inuida deleret temporis vsque mora.
Vna tibi hæc Calami virtus mala damna rependit:
Ne fugiant Calami cura volucris erit.

Palla-

Palladij quoties pereunt in nocte labores,
Dum negat irriguus membra leuare sopor?
Stat vigil ingenium; doctæ simulacra Mineruæ
Mentem implent; ortâ luce sepulta iacent.
O si promptus opem Calamus nigro amne ministret;
Plura tibi ingenium pignora clara dabit.
Proijcite Annales ingrata silentia: vester
Irritus est, Calamo dona negante, labor.
Acta retrò quicquid, reuolutaque sæcla recensent,
Quicquid & a priscis Fama reportat auis:
Quicquid ab antiquis natalibus editus Orbis,
Dissitaque ætatum tempora tecta tenent,
Immemori tumulata situ, atque ignota laterent,
Ni Calami extarent credita cuncta notis.
Non vllum virtus habuisset Martia nomen;
Inclita bellorum prælia nulla forent.
Palladiusque labor viduatus laude iaceret:
Vatis Apollinei laude careret honos.
Ignotique forent Sophiæ, & sine luce recessus,
Et sine luce forent abdita quæque Poli.
Tecta Mathesis erit: deleta peritia Iuris:
Nullus ab Historiâ census, & artis honos.
Cuncta hæc tecta diu, Calamo patuêre ministro,
Et vitam à Calami cuspide nacta tenent.
Namque typi hos frustra decerpere laudis honores,
Prælaque tentatis, cudere nata notas.
Vos famulam præbetis opem, Calamoque ministram:
Ad Calami nutus ænea cura vacat.
Quæ priùs ille dedit membranis verba, notatis:
Estis in æratis edere iussa notis.
Torpet iners vester labor, atque opus irritus vrget,
Si Calamus vindex otia deses agat.

Exer-

Exercet tunc præla labor, cùm sedulus antè
Ediderit Calamus Scripta notanda typis.
Cum Calamo certet frustra facundia linguæ:
Concedet Calamo lingua diserta decus.
Lingua sono tradit pereuntia verba fugaci,
Quæque leuis subitis flatibus aura rapit.
Nulla locuturæ sunt longè munera linguæ:
Irritus est vocis dissitâ ab aure sonus.
Scribentis Calami ueniet felicior usus,
Nec fluxum exiguo tempore munus habet.
Credita quæ ueniunt nigrantia uerba papyro,
Postera, transmisso munere, sæcla legent.
Verba nepos, quæ scripsit auus, percurret ocellis,
Describetque nepos ipse legendus auus.
Limes erit Calamo nullus: peruadet in Orbem
Extremum: Calamus lingua volucris erit.
Est potis eoo commercia nectere Mundo:
Est potis occiduis mittere uerba plagis.
Ille notas mentis referentes sensa repôsta
Legat, & arcanos corde patente sinus.
Fœdera nectuntur Calamo descripta ministro,
Sæpe etiam Calamus noxia bella ciet.
Euentus belli uarios, pugnæque triumphos
Ipsa per & Calamum nuncia Fama refert.
Cesset opus Calami; stant condita cuncta tenebris:
Et Calamis tacitis inscius Orbis erit.
Est etiam Calamus pretij mercator auarus;
In longas didicit quærere lucra vias.
Syngrapha per Calamum longè transmissa iubentem,
Aurea magna leuis pondera danda feret.
Atque suo interdum censu cumulata maligno,
Turpè reuecta notis lucra nefanda refert.

Ah peccas etiam Calame, irritamen amorum:
 Est tua furtiuis litera scripta notis.
Nempe minùs feriet iaciens sua tela Cupîdo,
 Quàm tua dum scribit cuspis iniqua notas.
Illius iaculum celeri præteruolat alâ;
 Hæret at in penito charta notata sinu.
Hanc Calame inuisam, atque artem dedisce malignam;
 Stet niueus nigro tutus ab amne Pudor.
Vsûs erit melior doctis insistere chartis:
 Sit tibi pulsa Venus; Palladis arma tene.
Nunc mihi, Musa memor, recolas queis prisca vetustas
 Olim tradiderit verba legenda notis.
Non ope tunc Calami scribendi munus obire
 Mos erat; in rudius cura vacabat opus.
Dextra stylum rexit ferientem cuspide ceras:
 Hæc venit à priscis præstita forma notis.
Litera diuersos fuerat sortita parentes:
 Dure calybs præbes vulnera; cera sinum.
Parte vnâ stylus in longum tenuatur acumen:
 Ille sed aduersâ parte retusus erat.
Quâ se cuspis agit, signantur cuspide ceræ:
 Inuersâ delet cuspide cera notas.
Non vllis tunc cera venit turpanda lituris;
 Pelle notas priscas, & super adde nouas.
Est labor hic modicus: sed quæ mittenda tabella,
 Ægriùs in longas cogitur ire vias.
Est Calami melior scribentis cura volucris,
 Ocyùs expediet charta volucris iter.
Fœda vias alias scribendi Cypris amores,
 Tuque alias reperis fœde Cupîdo vias.
In Calamos abeunt digiti: super assere vino
 Scribunt: ostentat mensa legenda notas.

Arti-

Artibus his quoties venêre ad vota puellæ,
Et lubrica in præceps litera strauit iter!
Ære sæpe etiam, digito scribente loquaci,
Litera formatur: lena ministra manus.
Ah pereant digiti; indicunt qui bella Pudori:
Æra quique docent turpiter ore loqui.
Quîd mihi cum digitis? redeas, mea Musa, pudicum
Ad Calamum: inceptum perfice laudis opus.
O sibi quot Calami repetunt præconia laudum!
Cunctorum est impar Musa referre decus.
Illius ante alios meriti celebrentur honores,
Cuius ab egregijs Afra superbit humus.
Quis Calami decora alta tui labor inclitus æquet,
Aureli? pennis addere Fama cupit.
Herculeæ sileant celebris miracula clauæ;
Horrida quæ potuit sternere monstra solo.
Plura iacent stygij Calamo prostrata volucri
Monstra lacus, Calami & cuspide cæsa tui.
Victa cadens sileat septeni verticis Hydra:
Plura tuo Hæreseos colla resecta iacent.
Phœbe tuis vnum fixti Pythona sagittis;
Cæde iacet Calami plurimus Orbe Draco.
Pelagij cecidere minæ, stygijque furores:
Nec Manichæa lues dira venena vomit.
Haud digna hoc Calamo Tellus; super æthera sedem
Astra dabunt: cedent sidera cuncta locum.
Ipse poli cuperet nigranti lacteus orbis
Inuidus hoc Calami pingere rore sinum.
O si Fama suis Calamum super addere pennis
Hunc valeat! votis vltima meta foret.
Sed quîd ego Calamo Calamis decus addere tento,
Et lætum in laudes scribere carmen amo?

Hei mihi quæ Calamus funebria vexit Iberus!
Venit ab Hesperiâ quæ mihi fama plagâ!
Maximus interijt gemino Regnator in Orbe
Austriacus: clausit lugubris vmbra diem.
Ausa nefas tantum potuit Libitina patrare?
Sic celeri voluis stamina, Parca, manu?
Inuida mors vni properas crudelia fata:
Terrarum toto luctus in Orbe patet.
Aspicit occiduum gemino sub funere Solem
Hesperia; & lacrymis condit, & amne iubar.
Fletibus obruitur mæstis Trinacria tellus:
Soluitur in fletus mæsta Arethusa suos.
Et Padus irriguo lacrymarum defluit amne
Flebilis, & socijs labitur Arnus aquis.
Et disiecta procul dat mæstos India fletus:
Orbis & Eous luget, & occiduus.
O tibi qui tristis, tam tristi in funere, Syren,
Sensus erit; penitus qui tibi corde dolor?
Vt tibi Fama refert tam cari fata parentis,
(Illius in te nam cura parentis erat)
Laxa libens nimio concedis fræna dolori:
Stat geminâ fixus cuspide calcar Amor.
Parthenope in luctus abijt, viduata magistro
Non secus ac validis fluctuat alnus aquis.
Campani fleuere lacus, Sebetides vndæ
Fleuere, & fletus æquoris vnda dedit.
Vrbe vagus totâ pullatus Mæror oberrat,
Syrmate sub nigro Luctus vbique sonat.
Consuetas exuta togas per compita Pallas
Incedens, longas induit atra notas.
Conticuere fora, & tacitum per cuncta tribunal
Iustitium indixit: Curia lite vacat.

Læta

Læta ferox mæstus posuit sua signa Gradiuus,
Et Bellona ferox tristia signa gerit.
Flebilis obuersis bellator miles in hastis
Aspicitur: versâ cuspide verrit humum.
Mæsta gemit pullo lorica obducta nigrore,
Et circum nigro tegmine tecta latet.
Flent litui, & leuiter tenues dant æra canores:
Magnificos Mæror dempsit ab ore sonos.
Martia strata solo à tergo vexilla trahuntur,
Elatoque suo Rege, caduca manent.
Igniuomique tubi obuersi dant signa doloris:
Ferre aliis nequeunt vulnera, vulnus amant.
Templa tenet luctus; nouies iterata Sacerdos
Sacra obit, & nigro syrmate Mysta litat.
Vespere dant mæstas campanas æra querelas,
Et repetunt querulos mane repulsa sonos.
Omnis in officium certat lugubre parentis
Gens: imos, summos flebilis vrget amor.
Ipsa quoque in mæstos mutatur Purpura luctus:
In violas roseus iussus abire color.
Nempe animo redeunt tanti præconia Regis,
Vis constans mentis, pectoris alta quies.
Nulla aduersa premunt: vultu Fortuna minaci
Terruit incassum: despicit ille minas.
Magnanima in Regum surrexit celsior ansa:
Mite illi ingenium: munere larga manus.
Crudeles nunquam vindex exarsit in iras:
Vsque venit sceleri pœna luenda minor.
O votis hominum, fati Fortuna maligna,
Præripis occiduum Regis iniqua diem.
Debueras subolem partu geminare virili:
Paruulus hunc Orbem fulciet vnus Atlas?

 Spe

Spe tamen erectos meliori Rector Olympi,
Austriaci fautor nominis, esse iubet.
Addictam Superis gentem, cultuque verendam
Vsque pio, diâ fulciet ille manu.
Carole, cui nomen tribuit Fortuna Secundum,
Euentus similes fata secunda dabunt.
In te Regnorum felix spes vna recumbet.
Tanto oneri vires suffice, Diue, pares.
Vna hac mæstus habet noster solatia luctus;
Quòd Regni Phœnix Regna tenebis auus.

CAVSIDICORVM
Laudatio.

QVæ tua conditio virtus innoxia! prauis
Quot foret insontum vita petita dolis!
Iura inopum neglecta forent: calcata iacerent:
Promptior in quæuis surgeret ausa furor.
Improba vis auidis fœdaret cuncta rapinis:
Vinceret armatum fraudibus omne nefas.
Nullus erit rerum sublatis legibus ordo:
In priscum videas cuncta redire chaos.
Iura sibi cudet furiosa potentia gliscens:
Asseret immeritas raptor iniquus opes.
Palladia vos gentis bonos, & semen Olympi,
Æqua patrocinij iura ministra datis.
In vos partiri Numen sua munera gaudet:
Innocuos vestrâ ritè tuetur ope.
Vnus ab axe Deus, Mundi qui iura gubernat
Princeps, vos socium iussit habere decus.

Et

Et repetens Terras, vindex habiturâ tribunal,
Iustitia, in vestro nixa labore redit.
Sæcula prisca Iones causæ dixere Patronos:
Nempe quòd illorum cuncta iuuentur ope.
Arma licèt populos tutentur; regna phalanges;
Sit licèt armato milite tecta salus;
Palladio stat Iure magis pax: regna quiescunt
Iure magis: populi, vindice lege, vigent.
Vulneribus gladius Regnorum iura tuetur:
Non nisi stat fuso sanguine parta quies.
Cæde saginatur miles: stant æquora campi
Plena cadaueribus: cuncta cruore natant.
Vindice sed calamo, certantis & ore Patroni,
Ictibus innocuis vita tuenda venit.
Quisque gradu sistit: compescitur ira potentum,
Et sua retrò trahit fræna soluta furor.
Diuitijs locuples fruitur securus auitis:
Iura tuas retinent raptor inique manus.
Quis tua, caste Pudor, tutatur dona? Patronus.
Estque patrocinij munere tutus inops.
Sentit opem deserta nurus, viduata marito;
Nec mala dotalis prælia census habet.
Cuncta tibi raperes pupilli tutor auare,
Ni tibi Causidici iura timenda forent.
Ne desponde animum. sinuosis litibus hæres?
Ille tibi cæcum pandet amicus iter.
Quæ possessa tenes, astu spoliare doloso
Nititur? inueniet, Iure docente, dolos.
Producet testes? testes euincet iniquos:
Dat tabulas? tabulis monstrat inesse nefas.
Institor aduectas vendas sine crimine merces;
Ille tibi impositum pellere crimen auet.

Carpimus, immodicos gestent si tempora crines;
Si coma fœmineam visa referre comam.
Et matutino subducere membra sopori
Cura vigil: reddit languida membra sopor.
Iurgia rixarum; verbosæ semina litis
Auertisse iuuat: sæpe tulere necem.
Ah caueas probro linguæ læsisse nocenti:
Mucro etiam linguæ vulnera sæpe tulit.
Neu fastu tumeas; vultu ne incede superbo:
Nullus erit socio fœdere iunctus amor.
Hæc monuisse iuuat; fœdos legisse Poëtas
Prouida consilij cura monere negat.
Non hærent oculis rerum simulacra legentum,
Sed faciles ineunt ad tua corda vias.
Fœda reuoluuntur mente, & reuoluta recurrunt,
Atque animo tandem sæpe voluta placent.
Exiguæ primò latitant mala semina flammæ;
Sed dabit ingentes parua fauilla faces.
Immittit se se paullatim lena voluptas:
Mollia mox valido robore corda quatit.
Hinc iterata diu vitiorum turpis imago
Vsque redit; rediens fœda reuolu t opus.
Ah cupidos auerte oculos: in carmine pellex
Tecta latet: leno versus iniquus erit.
An scelus esse putes turpes vidisse figuras;
Carmine & in turpi crimen inesse neges?
Peior inest Scriptis obscœnis culpa libellis:
Crimina quæ referunt, turpe patrare docent.
Hac ego quot vidi pellectos molliter escâ,
Incautos laqueis inseruisse pedes!
Hausta oculis mollis franget tibi robora mentis
Dictio: mellitus sermo venena dabit.

Ille-

Illectus releges nitido candore libellos:
Fœda tibi lecto è carmine parta lues.
Inspersos quos fronte gerant sectabere flores,
Spinea sed cuspis fixa superstes erit.
Hos tu pelle libros; virosos pelle colubros:
Vre focis, niueus ne flagret igne pudor.

CALAMI LAVDES.

FRonte verecundum deponere, Phœbe, ruborem,
Et Calamum iussis præcipe stare tuis.
Illius in laudes dum carmen scribere tento,
Pigrior impositum carminis vrget opus.
Illum fortè pudet præconia texere laudum,
Prægrauat atque leuem tam graue molis onus.
Est tamen audendum. cœptis meus adsit Apollo,
Vtque soles, facilis tu mihi, Musa, faue.
Laudis opus meritum aggredior: laus turpè negatur:
Nullum ope non Calami laudis in Orbe decus.
Mens hominum, Cœli suboles, pennata propago
Ætheris, excerptum Solis ab axe iubar:
Ignea fax, vigor igneus, orbis & ala volucris
Exigui, æternum nata referre genus;
Quid Calamo deserta fores? quæcunque repôsta
Scrutaris; solers abdita quæque tenes,
Immemori exciderent; obliuia tetra fugarent;
Inuida deleret temporis vsque mora.
Vna tibi hæc Calami virtus mala damna rependit:
Ne fugiant Calami cura volucris erit.

Palla-

Palladij quoties pereunt in nocte labores,
Dum negat irriguus membra leuare sopor?
Stat vigil ingenium; doctæ simulacra Mineruæ
Mentem implent; ortâ luce sepulta iacent.
O si promptus opem Calamus nigro amne ministret;
Plura tibi ingenium pignora clara dabit.
Proijcite Annales ingrata silentia: vester
Irritus est, Calamo dona negante, labor.
Acta retrò quicquid, reuolutaque sæcla recensent,
Quicquid & a priscis Fama reportat auis:
Quicquid ab antiquis natalibus editus Orbis,
Dissitaque ætatum tempora tecta tenent,
Immemori tumulata situ, atque ignota laterent,
Ni Calami extarent credita cuncta notis.
Non vllum virtus habuisset Martia nomen;
Inclita bellorum prælia nulla forent.
Palladiusque labor viduatus laude iaceret:
Vatis Apollinei laude careret honos.
Ignotique forent Sophiæ, & sine luce recessus,
Et sine luce forent abdita quæque Poli.
Tecta Mathesis erit: deleta peritia Iuris:
Nullus ab Historiâ census, & artis honos.
Cuncta hæc tecta diu, Calamo patuêre ministro,
Et vitam à Calami cuspide nacta tenent.
Namque typi hos frustra decerpere laudis honores,
Prælaque tentatis, cudere nata notas.
Vos famulam præbetis opem, Calamoque ministram:
Ad Calami nutus ænea cura vacat.
Quæ priùs ille dedit membranis verba, notatis
Estis in æratis edere iussa notis.
Torpet iners vester labor, atque opus irritus vrget,
Si Calamus vindex otia deses agat.

Exer-

Exercet tunc prœla labor, cùm sedulus antè
Ediderit Calamus Scripta notanda typis.
Cum Calamo certet frustra facundia linguæ:
Concedet Calamo lingua diserta decus.
Lingua sono tradit pereuntia verba fugaci,
Quæque leuis subitis flatibus aura rapit.
Nulla locuturæ sunt longè munera linguæ:
Irritus est vocis dissitâ ab aure sonus.
Scribentis Calami ueniet felicior usus,
Nec fluxum exiguo tempore munus habet.
Credita quæ ueniunt nigrantia uerba papyro,
Postera, transmisso munere, sæcla legent.
Verba nepos, quæ scripsit auus, percurret ocellis,
Describetque nepos ipse legendus auus.
Limes erit Calamo nullus: peruadet in Orbem
Extremum: Calamus lingua volucris erit.
Est potis eoo commercia nectere Mundo:
Est potis occiduis mittere uerba plagis.
Ille notas mentis referentes sensa repôsta
Legat, & arcanos corde patente sinus.
Fœdera nectuntur Calamo descripta ministro,
Sæpe etiam Calamus noxia bella ciet.
Euentus belli uarios, pugnæque triumphos
Ipsa per & Calamum nuncia Fama refert.
Cesset opus Calami; stant condita cuncta tenebris:
Et Calamis tacitis inscius Orbis erit.
Est etiam Calamus pretij mercator auarus;
In longas didicit quærere lucra vias.
Syngrapha per Calamum longè transmissa iubentem,
Aurea magna leuis pondera danda feret.
Atque suo interdum censu cumulata maligno,
Turpè reuecta notis lucra nefanda refert.

Ah peccas etiam Calame, irritamen amorum:
Est tua furtiuis litera scripta notis.
Nempe minùs feriet iaciens sua tela Cupîdo,
Quàm tua dum scribit cuspis iniqua notas.
Illius iaculum celeri præteruolat alâ;
Hæret at in penito charta notata sinu.
Hanc Calame inuisam, atque artem dediſce malignam;
Stet niueus nigro tutus ab amne Pudor.
Vsûs erit melior doctis insistere chartis:
Sit tibi pulsa Venus; Palladis arma tene.
Nunc mihi, Musa memor, recolas queis prisca vetustas
Olim tradiderit verba legenda notis.
Non ope tunc Calami scribendi munus obire
Mos erat; in rudius cura vacabat opus.
Dextra stylum rexit ferientem cuspide ceras:
Hæc venit à priscis præstita forma notis.
Litera diuersos fuerat sortita parentes:
Dure calybs præbes vulnera; cera sinum.
Parte vnâ stylus in longum tenuatur acumen:
Ille sed aduersâ parte retusus erat.
Quâ se cuspis agit, signantur cuspide ceræ:
Inuersâ delet cuspide cera notas.
Non vllis tunc cera venit turpanda lituris;
Pelle notas priscas, & super adde nouas.
Est labor hic modicus: sed quæ mittenda tabella,
Ægriùs in longas cogitur ire vias.
Est Calami melior scribentis cura volucris,
Ocyùs expediet charta volucris iter.
Fœda vias alias scribendi Cypris amores,
Tuque alias reperis fœde Cupîdo vias.
In Calamos abeunt digiti: super asfere vino
Scribunt: ostentat mensa legenda notas.

Arti-

Artibus his quoties venêre ad vota puellæ,
Et lubrica in præceps litera strauit iter!
Ære sæpe etiam, digito scribente loquaci,
Litera formatur: lena ministra manus.
Ah pereant digiti, indicunt qui bella Pudori:
Æra quique docent turpiter ore loqui.
Quid mihi cum digitis? redeas, mea Musa, pudicum
Ad Calamum: inceptum perfice laudis opus.
O sibi quot Calami repetunt præconia laudum!
Cunctorum est impar Musa referre decus.
Illius antè alios meriti celebrentur honores,
Cuius ab egregijs Afra superbit humus.
Quis Calami decora alta tui labor inclitus æquet,
Aureli? pennis addere Fama cupit.
Herculeæ sileant celebris miracula clauæ;
Horrida quæ potuit sternere monstra solo.
Plura iacent stygij Calamo prostrata volucri
Monstra lacus, Calami & cuspide cæsa tui.
Victa cadens sileat septeni verticis Hydra:
Plura tuo Hæreseos colla resecta iacent.
Phœbe tuis vnum fixti Pythona sagittis;
Cæde iacet Calami plurimus Orbe Draco.
Pelagij cecidere minæ, stygijque furores:
Nec Manichæa lues dira venena vomit.
Haud digna hoc Calamo Tellus; super æthera sedem
Astra dabunt: cedent sidera cuncta locum.
Ipse poli cuperet nigranti lacteus orbis
Inuidus hoc Calami pingere rore sinum.
O si Fama suis Calamum super addere pennis
Hunc valeat! votis vltima meta foret.
Sed quid ego Calamo Calamis decus addere tento,
Et lætum in laudes scribere carmen amo?

Hei mihi quæ Calamus funebria vexit Iberus!
Venit ab Hesperiâ quæ mihi fama plagâ!
Maximus interijt gemino Regnator in Orbe
Austriacus: clausit lugubris vmbra diem.
Ausa nefas tantum potuit Libitina patrare?
Sic celeri voluis stamina, Parca, manu?
Inuida mors vni properas crudelia fata:
Terrarum toto luctus in Orbe patet.
Aspicit occiduum gemino sub funere Solem
Hesperia; & lacrymis condit, & amne iubar.
Fletibus obruitur mæstis Trinacria tellus:
Soluitur in fletus mæsta Arethusa suos.
Et Padus irriguo lacrymarum defluit amne
Flebilis, & socijs labitur Arnus aquis.
Et disiecta procul dat mæstos India fletus:
Orbis & Eous luget, & occiduus.
O tibi qui tristis, tam tristi in funere, Syren,
Sensus erit; penitus qui tibi corde dolor?
Vt tibi Fama refert tam cari fata parentis,
(Illius in te nam cura parentis erat)
Laxa libens nimio concedis fræna dolori:
Stat geminâ fixus cuspide calcar Amor.
Phartenope in luctus abijt, viduata magistro
Non secus ac validis fluctuat alnus aquis.
Campani fleuere lacus, Sebetides vndæ
Fleuere, & fletus æquoris vnda dedit.
Vrbe vagus totâ pullatus Mæror oberrat,
Syrmate sub nigro Luctus vbique sonat.
Consuetas exuta togas per compita Pallas
Incedens, longas induit atra notas.
Conticuere fora, & tacitum per cuncta tribunal
Iustitium indixit: Curia lite vacat.

Læta

Læta ferox mæstus posuit sua signa Gradiuus,
Et Bellona ferox tristia signa gerit.
Flebilis obuersis bellator miles in hastis
Aspicitur: versâ cuspide verrit humum.
Mæsta gemit pullo lorica obducta nigrore,
Et circum nigro tegmine tecta latet.
Flent litui, & leuiter tenues dant æra canores:
Magnificos Mæror dempsit ab ore sonos.
Martia strata solo à tergo vexilla trahuntur,
Elatoque suo Rege, caduca manent.
Igniuomique tubi obuersi dant signa doloris:
Ferre alijs nequeunt vulnera, vulnus amant.
Templa tenet luctus; nouies iterata Sacerdos
Sacra obit, & nigro syrmate Mysta litat.
Vespere dant mæstas campanas æra querelas,
Et repetunt querulos mane repulsa sonos.
Omnis in officium certat lugubre parentis
Gens: imos, summos flebilis vrget amor.
Ipsa quoque in mæstos mutatur Purpura luctus:
In violas roseus iussus abire color.
Nempe animo redeunt tanti præconia Regis,
Vis constans mentis, pectoris alta quies.
Nulla aduersa premunt: vultu Fortuna minaci
Terruit incassum: despicit ille minas.
Magnanima in Regum surrexit celsior ansa:
Mite illi ingenium: munere larga manus.
Crudeles nunquam vindex exarsit in iras:
Vsque venit sceleri pœna luenda minor.
O votis hominum, fati Fortuna maligna,
Præripis occiduum Regis iniqua diem.
Debueras subolem partu geminare virili:
Paruulus hunc Orbem fulciet vnus Atlas?

Spe tamen erectos meliori Rector Olympi,
Austriaci fautor nominis, esse iubet.
Addictam Superis gentem, cultuque verendam
Vsque pio, diâ fulciet ille manu.
Carole, cui nomen tribuit Fortuna Secundum,
Euentus similes fata secunda dabunt.
In te Regnorum felix spes vna recumbet.
Tanto oneri vires suffice, Diue, pares.
Vna hac mæstus habet noster solatia luctus;
Quòd Regni Phœnix Regna tenebis auus.

CAVSIDICORVM Laudatio.

QVa tua conditio virtus innoxia! prauis
Quot foret insontum vita petita dolis!
Iura inopum neglecta forent: calcata iacerent:
Promptior in quæuis surgeret ausa furor.
Improba vis auidis fœdaret cuncta rapinis:
Vinceret armatum fraudibus omne nefas.
Nullus erit rerum sublatis legibus ordo:
In priscum videas cuncta redire chaos.
Iura sibi cudet furiosa potentia gliscens:
Asseret immeritas raptor iniquus opes.
Palladia vos gentis honos, & semen Olympi,
Æqua patrocinij iura ministra datis.
In vos partiri Numen sua munera gaudet:
Innocuos vestrâ ritè tuetur ope.
Vnus ab axe Deus, Mundi qui iura gubernat
Princeps, vos socium iussit habere decus.

Et

Et repetens Terras, vindex habiturà tribunal
Iustitia, in vestro nixa labore redit.
Sæcula prisca Iones causæ dixere Patronos:
Nempe quòd illorum cuncta iuuentur ope.
Arma licèt populos tutentur; regna phalanges;
Sit licèt armato milite tecta salus;
Palladio stat Iure magis pax: regna quiescunt
Iure magis: populi, vindice lege, vigent.
Vulneribus gladius Regnorum iura tuetur:
Non nisi stat fuso sanguine parta quies.
Cæde saginatur miles: stant æquora campi
Plena cadaueribus: cuncta cruore natant.
Vindice sed calamo, certantis & ore Patroni,
Ictibus innocuis vita tuenda venit.
Quisque gradu sistit: compescitur ira potentum,
Et sua retrò trahit fræna soluta furor.
Diuitijs locuples fruitur securus auitis:
Iura tuas retinent raptor inique manus.
Quis tua, caste Pudor, tutatur dona? Patronus.
Estque patrocinij munere tutus inops.
Sentit opem deserta nurus, viduata marito;
Nec mala dotalis prœlia census habet.
Cuncta tibi raperes pupilli tutor auare,
Ni tibi Causidici iura timenda forent.
Ne desponde animum. sinuosis litibus hæres?
Ille tibi cæcum pandet amicus iter.
Quæ possessa tenes, astu spoliare doloso
Nititur? inueniet, Iure docente, dolos.
Producet testes? testes euincet iniquos:
Dat tabulas? tabulis monstrat inesse nefas.
Institor aduectas vendas sine crimine merces;
Ille tibi impositum pellere crimen auet.

Insons contractus miser insimularis iniqui?
Æqua tibi tanto vindice causa venit.
Tecta dolo, rebus, vitaque calumnia surgit?
Inueniet tectæ fraudis odorus opus.
Sed quæ digna tibi veniet laus, inter amicos D. Dominicus de Rubeis.
Culte magis, Rubeis: inclite Iuris bonos?
Scribere seu mauis, mauis seu dicere causas;
Par erit in calamo, par & in ore decus.
Et tibi scribenti primos concedit honores
Cui nullo Latius crimine sermo nitet.
Et tua sæpe mihi non cursim Scripta legenti,
Dicendi priscum visa referre decus.
Apta suis constructa nitens oratio membris,
Nexaque disposito tramite tendit iter.
Acrior aptè vrget: solidè confutat: habenas
Laxat: par rapidis amnibus vrget iter.
Est vigor in verbis: sententia robore constat:
Ritè probat, rectè conficit, vsque premit.
Circuitus nulli, aut ventosi cuspidis ictus:
In causæ iugulum tendere cuspis auet.
Sed quid ego ingenium memoro? quid mētis acumē?
Aurea quid fandi munera voluo memor?
Me tua nota rapit pietas: rapit indita cordi
Mitis conditio, & pectoris vnus amor.
Alterius caros defendit cura clientes:
Cura patrocinij fœdera amica tegit.
Hos superire cupit victrix tua cura Patronos;
Namque tibi nocuis illa ministrat opem.
Inconsulta semel ferro te dextra petiuit:
Sauciat immeritum plurima plaga latus.
Posceret vltorem facinus te grande Patronum:
Ausa nefas tantum morte pianda manus.

Molle

Molle tibi pectus non has consurgit in iras:
Non meritum sceleri mente reuoluis opus.
Sedulus ardet amor furiosum auertere crimen:
Vulneris auctorem crimen habere negas.
Saucius in lecto decumbens iura Patroni
Suscipis: Insanus mouit ad arma furor.
Succubuit ferrum calamo: facundia vicit
Vulnera, & auctorem sustulit illa neci.
Perge tuum nunc carmen iter, cœptasque reuolue
Laudes: an tantum Musa repellis onus?
Succubuisse iuuet. labor hic debetur amicis:
Quanquam probra subis, perfice laudis opus.
Causidicos quid lingua procax, litisque Patronos
Carpis? in immeritos atra venena vomis.
Eruis è latebris conuicia: probra recenses
Fœta dolis: rides dona verenda iocis.
Latrones stygiâ compellas voce Patronos,
Et nomen Iuris, Furiæ in ore sonat.
Causidicus tibi vultur erit; ferus vngue togatus,
Cuius odoratum plena crumena trahat.
Argi oculos vt turpè notent obtutibus aurum,
Arpyiæque vngues turpè referre manus.
Nempè hominum venale genus noua iurgia vendunt;
Clamoso, rabido, personat ore forum.
Gurges semper hians, nunquam saturata Charybdis;
Pota auri nunquam tristis hirudo satis.
Technarum docti artifices, litisque satores:
Vt lites dirimant, iurgia litis alunt.
Hanc stygio vomis ore luem. cùm crimen in vnum
Fortè cadat, fœdè plectitur omne genus.
Arbitrio quæcunque tuo damnantur & artes:
In cunctas eadem namque querela cadet.

In-

Iudice te, Medicus probris plectatur Apollo:
Pæonius solers exulet Orbe labor.
Nonne etiam Medicos videas peccare nocentes?
Ista suum gentis natio crimen habet.
Cultus ab arte venit tibi non quicunque Machaon:
Quis medicum nullo crimine præstet opus?
Existet nullus Podalirius. excute censum:
Plurimus occurret munere cor uus edax.
Despiciunt morbi Medicos, lætique tuentur:
Vna salus miserum deprimit ægra caput.
Pharmaca potantur; vacuatur sanguine vena:
Potaque feruidius febris adulta redit.
Assiduè Pollinctor erit, loculique vocati:
Implebunt miseras funera crebra vias.
Crimen auaritiæ nullum? dum vena cruorem
Cæsa dabit largè, prodiget æger opes.
Ergo, mentis inops, medicum damnare laborem
Audes? atque artis carpere iniquus opus?
Hanc artem Cœlo deductam, munus Olympi,
Immeritis plectit lingua soluta probris.
Artifices peccant: ars est innoxia. cunctas
Tu vecors artes pellere ab Orbe cupis.
Exul eas mea Musa procul? damneris Apollo?
Castalidesque nouem turpe lupanar alat?
Sunt Vates fœdi? nil peccat casta Poësis.
Mollit Amor turpis carmina? Musa dolet.
Ite procul cantus: Cantores linquite voces:
Artifices vocis fæda subinde canunt.
Est etiam fidibus vitium, citharisque canoris;
Sæpe puellaris conciliatur amor.
Impulit in scopulos ignauus Nauita puppim:
Nauiget haud vllus Nauita puppe salum.

Et peccant etiam qui condita regna gubernant:
Sint nulli Reges, sceptra nec vlla regant.
Cætera quid memorem? pudet hæc tã vana referre:
Nullum Causidici munere maius erit.
Quid sine lege forent cumulatæ gentibus vrbes?
Quid nullo legum regna coacta metu?
Silua forent vrbes, nemorosaque tesqua ferarum
Regna. feras hominum vinceret vsque furor.
Sæcula prisca memor, veterũ monumenta reuoluas:
Inuenies primùm Iura tulisse decus.
Romula regna priùs gentes texêre togatæ:
Rector ab hac etiam gente Senator erat.
Romuleasque togæ quondam duxere phalanges:
Plurima palladio parta trophæa duce.
Sic Romana diu viguerunt sceptra; Quiritum
Donec palladiæ sceptra tulere manus.
Iura modum statuunt armis: laxare furori
Frænos præcipiti, vindice lege, vetant.
Tu mihi Pæonias extollis sedulus artes:
Emeritas laudes cura medentis habet.
Maiores collata simul sibi Iura reposcunt,
Patronique decet laude præire decus.
Corporis ægra salus medico stat fulta labore,
Quæque nocet membris ignea pulsa lues.
Iuris opus maius lites auertere: ciues
Nectere concordi fœdere cura sagax.
Arte patrocinij non noxius pellitur humor:
Nec quæ membra cremat febris adusta face.
Noxia difflantur discordis semina flammæ:
Publica sancito fœdere parta quies.
An lites damnes? certantes ritè Patronos
Esse procul iubeas? vsque silere forum?

Tolle

Ah peccas etiam Calame, irritamen amorum:
Est tua furtiuis litera scripta notis.
Nempe minùs feriet iaciens sua tela Cupîdo,
Quàm tua dum scribit cuspis iniqua notas.
Illius iaculum celeri præteruolat alâ;
Hæret at in penito charta notata sinu.
Hanc Calame inuisam, atque artem dedisce malignam;
Stet niueus nigro tutus ab amne Pudor.
Vsûs erit melior doctis insistere chartis:
Sit tibi pulsa Venus; Palladis arma tene.
Nunc mihi, Musa memor, recolas queis prisca vetustas
Olim tradiderit verba legenda notis.
Non ope tunc Calami scribendi munus obire
Mos erat; in rudius cura vacabat opus.
Dextra stylum rexit ferientem cuspide ceras:
Hæc venit à priscis præstita forma notis.
Litera diuersos fuerat sortita parentes:
Durc calybs præbes vulnera; cera sinum.
Parte vnâ stylus in longum tenuatur acumen:
Ille sed aduersâ parte retusus erat.
Quâ se cuspis agit, signantur cuspide ceræ:
Inuersâ delet cuspide cera notas.
Non vllis tunc cera venit turpanda lituris;
Pelle notas priscas, & super adde nouas.
Est labor hic modicus: sed quæ mittenda tabella,
Ægriùs in longas cogitur ire vias.
Est Calami melior scribentis cura volucris,
Ocyùs expediet charta voluceris iter.
Fœda vias alias scribendi Cypris amores,
Tuque alias reperis fœde Cupîdo vias.
In Calamos abeunt digiti: super assere vino
Scribunt: ostentat mensa legenda notas.

Arti-

Artibus his quoties venêre ad vota puellæ,
Et lubrica in præceps litera strauit iter!
Ære sæpe etiam, digito scribente loquaci,
Litera formatur: lena ministra manus.
Ah pereant digiti, indicunt qui bella Pudori:
Æra quique docent turpiter ore loqui.
Quid mihi cum digitis? redeas, mea Musa, pudicum
Ad Calamum: inceptum perfice laudis opus.
O sibi quot Calami repetunt præconia laudum!
Cunctorum est impar Musa referre decus.
Illius antè alios meriti celebrentur honores,
Cuius ab egregijs Afra superbit humus.
Quis Calâmi decora alta tui labor inclitus æquet,
Aureli? pennis addere Fama cupit.
Herculeæ sileant celebris miracula clauæ;
Horrida quæ potuit sternere monstra solo.
Plura iacent stygij Calamo prostrata voluceri
Monstra lacus, Calami & cuspide cæsa tui.
Victa cadens sileat septeni verticis Hydra:
Plura tuo Hæreseos colla resecta iacent.
Phœbe tuis vnum fixti Pythona sagittis;
Cæde iacet Calami plurimus Orbe Draco.
Pelagij cecidere minæ, stygijque furores:
Nec Manichæa lues dira venena vomit.
Haud digna hoc Calamo Tellus; super æthera sedem
Astra dabunt: cedent sidera cuncta locum.
Ipse poli cuperet nigranti lacteus orbis
Inuidus hoc Calami pingere rore sinum.
O si Fama suis Calamum super addere pennis
Hunc valeat! votis vltima meta foret.
Sed quid egò Calamo Calamis decus addere tento,
Et lætum in laudes scribere carmen amo?

Hei mihi quæ Calamus funebria vexit Iberus!
Venit ab Hesperiâ quæ mihi fama plagâ!
Maximus interijt gemino Regnator in Orbe
Austriacus: clausit lugubris vmbra diem.
Ausa nefas tantum potuit Libitina patrare?
Sic celeri voluis stamina, Parca, manu?
Inuida mors vni properas crudelia fata:
Terrarum toto luctus in Orbe patet.
Aspicit occiduum gemino sub funere Solem
Hesperia; & lacrymis condit, & amne iubar.
Fletibus obruitur mœstis Trinacria tellus:
Soluitur in fletus mœsta Arethusa suos.
Et Padus irriguo lacrymarum defluit amne
Flebilis, & socijs labitur Arnus aquis.
Et disiecta procul dat mœstos India fletus:
Orbis & Eous luget, & occiduus.
O tibi qui tristis, tam tristi in funere, Syren,
Sensus erit; penitus qui tibi corde dolor?
Vt tibi Fama refert tam cari fata parentis,
(Illius in te nam cura parentis erat)
Laxa libens nimio concedis fræna dolori:
Stat geminâ fixus cuspide calcar Amor.
Phartenope in luctus abijt, viduata magistro
Non secus ac validis fluctuat alnus aquis.
Campani fleuere lacus, Sebetides vndæ
Fleuere, & fletus æquoris vnda dedit.
Vrbe vagus totâ pullatus Mœror oberrat,
Syrmate sub nigro Luctus vbique sonat.
Consuetas exuta togas per compita Pallas
Incedens, longas induit atra notas.
Conticuere fora, & tacitum per cuncta tribunal
Iustitium indixit: Curia lite vacat.

Læta

Læta ferox mæstus posuit sua signa Gradiuus,
Et Bellona ferox tristia signa gerit.
Flebilis obuersis bellator miles in hastis
Aspicitur: versâ cuspide verrit humum.
Mæsta gemit pullo lorica obducta nigrore,
Et circum nigro tegmine tecta latet.
Flent litui, & leuiter tenues dant æra canores:
Magnificos Mæror dempsit ab ore sonos.
Martia strata solo à tergo vexilla trahuntur,
Elatoque suo Rege, caduca manent.
Igniuomique tubi obuersi dant signa doloris:
Ferre aliis nequeunt vulnera, vulnus amant.
Templa tenet luctus; nouies iterata Sacerdos
Sacra obit, & nigro syrmate Mysta litat.
Vespere dant mæstas campanas æra querelas,
Et repetunt querulos mane repulsa sonos.
Omnis in officium certat lugubre parentis
Gens: imos, summos flebilis vrget amor.
Ipsa quoque in mæstos mutatur Purpura luctus:
In violas roseus iussus abire color.
Nempe animo redeunt tanti præconia Regis,
Vis constans mentis, pectoris alta quies.
Nulla aduersa premunt: vultu Fortuna minaci
Terruit incassum: despicit ille minas.
Magnanima in Regum surrexit celsior ansa:
Mite illi ingenium: munere larga manus.
Crudeles nunquam vindex exarsit in iras:
Vsque venit sceleri pœna luenda minor.
O votis hominum, fati Fortuna maligna,
Præripis occiduum Regis iniqua diem.
Debueras subolem partu geminare virili:
Paruulus hunc Orbem fulciet vnus Atlas?

Spe tamen erectos meliori Rector Olympi,
Austriaci fautor nominis, esse iubet.
Addictam Superis gentem, cultuque verendam
Vsque pio, diâ fulciet ille manu.
Carole, cui nomen tribuit Fortuna Secundum,
Euentus similes fata secunda dabunt.
In te Regnorum felix spes vna recumbet.
Tanto oneri vires suffice, Diue, pares.
Vna hac mæstus habet noster solatia luctus;
Quòd Regni Phœnix Regna tenebis auus.

CAVSIDICORVM
Laudatio.

QVa tua conditio virtus innoxia! prauis
Quot foret insontum vita petita dolis!
Iura inopum neglecta forent: calcata iacerent:
Promptior in quæuis surgeret ausa furor.
Improba vis auidis fœdaret cuncta rapinis:
Vinceret armatum fraudibus omne nefas.
Nullus erit rerum sublatis legibus ordo:
In priscum videas cuncta redire chaos.
Iura sibi cudet furiosa potentia gliscens:
Asseret immeritas raptor iniquus opes.
Palladiæ vos gentis honos, & semen Olympi,
Æqua patrocinij iura ministra datis.
In vos partiri Numen sua munera gaudet:
Innocuos vestrâ ritè tuetur ope.
Vnus ab axe Deus, Mundi qui iura gubernat
Princeps, vos socium iussit habere decus.

Et

Et repetens Terras, vindex habiturâ tribunal,
Iustitia, in vestro nixa labore redit.
Sæcula prisca Iones causæ dixere Patronos:
Nempe quòd illorum cuncta iuuentur ope.
Arma licèt populos tutentur; regna phalanges;
Sit licèt armato milite tecta salus;
Palladio stat Iure magis pax: regna quiescunt
Iure magis: populi, vindice lege, vigent.
Vulneribus gladius Regnorum iura tuetur:
Non nisi stat fuso sanguine parta quies.
Cæde saginatur miles: stant æquora campi
Plena cadaueribus: cuncta cruore natant.
Vindice sed calamo, certantis & ore Patroni,
Ictibus innocuis vita tuenda venit.
Quisque gradu sistit: compescitur ira potentum,
Et sua retrò trahit fræna soluta furor.
Diuitijs locuples fruitur securus auitis:
Iura tuas retinent raptor inique manus.
Quis tua, caste Pudor, tutatur dona? Patronus.
Estque patrocinij munere tutus inops.
Sentit opem deserta nurus, viduata marito;
Nec mala dotalis prælia census habet.
Cuncta tibi raperes pupilli tutor auare,
Ni tibi Causidici iura timenda forent.
Ne desponde animum. sinuosis litibus hæres?
Ille tibi cæcum pandet amicus iter.
Quæ possessa tenes, astu spoliare doloso
Nititur? inueniet, Iure docente, dolos.
Producet testes? testes euincet iniquos:
Dat tabulas? tabulis monstrat inesse nefas.
Institor aduectas vendas sine crimine merces;
Ille tibi impositum pellere crimen auet.

Insons contractus miser insimularis iniqui?
Æqua tibi tanto vindice causa venit.
Tecta dolo, rebus, vitaque calumnia surgit?
Inueniet tectæ fraudis odorus opus.
Sed quæ digna tibi veniet laus, inter amicos D. Dominicus de Rubeis.
Culte magis, Rubeis: inclite Iuris honos?
Scribere seu mauis, mauis seu dicere causas;
Par erit in calamo, par & in ore decus.
Et tibi scribenti primos concedit honores
Cui nullo Latius crimine sermo nitet.
Et tua sæpe mihi non cursim Scripta legenti,
Dicendi priscum visa referre decus.
Apta suis constructa nitens oratio membris,
Nexaque disposito tramite tendit iter.
Acrior aptè vrget: solidè confutat: habenas
Laxat: par rapidis amnibus vrget iter.
Est vigor in verbis: sententia robore constat:
Ritè probat, rectè conficit, vsque premit.
Circuitus nulli, aut ventosi cuspidis ictus:
In causæ iugulum tendere cuspis auet.
Sed quid ego ingenium memoro? quid mẽtis acumẽ?
Aurea quid fandi munera voluo memor?
Me tua nota rapit pietas: rapit indita cordi
Mitis conditio, & pectoris vnus amor.
Alterius caros defendit cura clientes:
Cura patrocinij fœdera amica tegit.
Hos superire cupit victrix tua cura Patronos;
Namque tibi nocuis illa ministrat opem.
Inconsulta semel ferro te dextra petiuit:
Sauciat immeritum plurima plaga latus.
Posceret vltorem facinus te grande Patronum:
Ausa nefas tantum morte pianda manus.

Molle

Molle tibi pectus non has consurgit in iras:
Non meritum sceleri mente reuoluis opus.
Sedulus ardet amor furiosum auertere crimen;
Vulneris auctorem crimen habere negas.
Saucius in lecto decumbens iura Patroni
Suscipis: Insanus mouit ad arma furor.
Succubuit ferrum calamo: facundia vicit
Vulnera, & auctorem sustulit illa neci.
Perge tuum nunc carmen iter, cœptasque reuolue
Laudes: an tantum Musa repellis onus?
Succubuisse iuuet. labor hic debetur amicis:
Quanquam probra subis, perfice laudis opus.
Causidicos quid lingua procax, litisque Patronos
Carpis? in immeritos atra venena vomis.
Eruis è latebris conuicia: probra recenses
Fœta dolis: rides dona verenda iocis.
Latrones stygiâ compellas voce Patronos,
Et nomen Iuris, Furia in ore sonat.
Causidicus tibi vultur erit; ferus vngue togatus;
Cuius odoratum plena crumena trahat.
Argi oculos vt turpè notent obtutibus aurum,
Arpyiæque vngues turpè referre manus.
Nempè hominum venale genus noua iurgia vendunt;
Clamoso, rabido, personat ore forum.
Gurges semper hians, nunquam saturata Charybdis;
Pota auri nunquam tristis hirudo satis.
Technarum docti artifices, litisque satores:
Vt lites dirimant, iurgia litis alunt.
Hanc stygio vomis ore luem. cùm crimen in vnum
Fortè cadat, fœdè plectitur omne genus.
Arbitrio quæcunque tuo damnantur & artes;
In cunctas eadem namque querela cadet.

In-

Iudice te, Medicus probris plectatur Apollo:
Pæonius solers exulet Orbe labor.
Nonne etiam Medicos videas peccare nocentes?
Ista suum gentis natio crimen habet.
Cultus ab arte venit tibi non quicunque Machaon:
Quis medicum nullo crimine præstet opus?
Existet nullus Podalirius. excute censum:
Plurimus occurret munere corruus edax.
Despiciunt morbi Medicos, lætique tuentur:
Vna salus miserum deprimit ægra caput.
Pharmaca potantur; vacuatur sanguine vena:
Potaque feruidius febris adulta redit.
Assiduè Pollinctor erit, loculique vocati:
Implebunt miseras funera crebra vias.
Crimen auaritiæ nullum? dum vena cruorem
Cæsa dabit largè, prodiget æger opes.
Ergo, mentis inops, medicum damnare laborem
Audes? atque artis carpere iniquus opus?
Hanc artem Cælo deductam, munus Olympi,
Immeritis plectit lingua soluta probris.
Artifices peccant: ars est innoxia. cunctas
Tu vecors artes pellere ab Orbe cupis.
Exul eas mea Musa procul? damneris Apollo?
Castalidesque nouem turpe lupanar alat?
Sunt Vates fœdi? nil peccat casta Poësis.
Mollit Amor turpis carmina? Musa dolet.
Ite procul cantus: Cantores linquite voces:
Artifices vocis fœda subinde canunt.
Est etiam fidibus vitium, citharisque canoris;
Sæpe puellaris conciliatur amor.
Impulit in scopulos ignauus Nauita puppim:
Nauiget haud vllus Nauita puppe salum.

Et

Et peccant etiam qui condita regna gubernant:
Sint nulli Reges, ſceptra nec vlla regant.
Cætera quid memorem? pudet hæc tã vana referre:
Nullum Cauſidici munere maius erit.
Quid ſine lege forent cumulatæ gentibus vrbes?
Quid nullo legum regna coacta metu?
Silua forent vrbes, nemoroſaque teſqua ferarum
Regna. feras hominum vinceret vſque furor.
Sæcula priſca memor, veterũ monumenta reuoluas:
Inuenies primùm Iura tuliſſe decus.
Romula regna priùs gentes texêre togatæ:
Rector ab hac etiam gente Senator erat.
Romuleaſque togæ quondam duxere phalanges:
Plurima palladio parta trophæa duce.
Sic Romana diu viguerunt ſceptra; Quiritum
Donec palladiæ ſceptra tulere manus.
Iura modum ſtatuunt armis: laxare furori
Frænos præcipiti, vindice lege, vetant.
Tu mihi Pæonias extollis ſedulus artes:
Emeritas laudes cura medentis habet.
Maiores collata ſimul ſibi Iura repoſcunt,
Patronique decet laude præire decus.
Corporis ægra ſalus medico ſtat fulta labore,
Quæque nocet membris ignea pulſa lues.
Iuris opus maius lites auertere: ciues
Nectere concordi fœdere cura ſagax.
Arte patrocinij non noxius pellitur humor:
Nec quæ membra cremat febris aduſta face.
Noxia diſflantur diſcordis ſemina flammæ:
Publica ſancito fœdere parta quies.
An lites damnes? certantes ritè Patronos
Eſſe procul iubeas? vſque ſilere forum?

Tolle

Tolle forum, lites tollas, & tolle tribunal;
Arbitra vis: cæcus surget ad arma furor.
Cerne etiam grauidâ certantes nube vapores,
Fulmineâ aërium voce ciere polum.
Arguis an tonitrus? hæc tandem prælia nubes
Difflabunt; veniet luce serena dies.
Respice in vndoso pugnantes æquore fluctus:
Hac tandem pugnâ sternitur æquor aquis:
Sic tibi clamosos, quæ gignere visa tumultus
Lis, tandem pacis fœdera mater alet.
Stare negas dictis? votis, precibusque fatiga
Cælum, ne in lites sit tibi Iuris opus.

DIEI, AC NOCTIS Encomium.

PVra Dies, hominum nullâ non laude refulget:
Æmula sed Noctis tempora laude vacant.
Attollunt alij tenebrosas laudibus vmbras,
Indiga sed laudis linquitur alba Dies.
Sed iuuat ambarum præconia clara referre:
Ambarumque iuuat conciliare decus.
Nox erit occidui nigrescens filia Solis;
Solis at eoi candida nata Dies.
Subduntur patrio geminæ sub iure sorores,
Et geminæ gaudent iussa paterna sequi.
Et sua sunt Nocti, sunt & sua iura Diei:
Ambarum certâ tempora lege meant.
Nec sua Nox rapiet fulgentia iura Diei,
Nec rapiet Nocti tristia iura Dies.

Sol si phœbeæ producat tempora lucis;
Concita nocturnis vmbra volucris erit.
Et si regna dabit tenebrosis largiùs vmbris;
Contrahet eoâ sceptra regenda Die.
Ardua per Cœli voluuntur cursibus æquis:
Sæpe suus geminis cursus iniquus erit.
Lux Noctem trudit: lucem procul abijcit vmbra;
Dissidiumque fugæ concitat vnus amor.
Quando vetat Natura simul sub lege coire;
Temporis alternant Nocte, Dieque vices.
Pura Dies rutili iactabit lumina Solis:
Æmula sidereum præferet vmbra iubar.
Noctis opem Tellus, humantia frigora, poscit;
Humida Phœbeâ Terra iuuatur ope.
Stat labor eoæ nascentis munere lucis:
Munera sunt Noctis mollis & alta quies.
Nox defessa toro declinat membra sopori:
Exercet Solis membra refecta labor.
Dum Nocturna vices variant, variantque Diurna
Tempora; terra suas læta ministrat opes.
Pergit adhuc probris torpentem carpere Noctem:
In resides vmbras spicula lingua iacit.
Vna habet orta Dies duros operosa labores:
Otia: desidiam torpida Noctis alunt.
Indice sed cæco damnatur tempora Noctis:
Æquior immeritis plectitur vmbra notis.
Ignea vis melior gelidis crebrescit ab vmbris;
Clariùs ingenij lumina Nocte micant.
Noctis pigra quies mentem dabit ire volucrem;
Frigida Palladias excitat vmbra faces.
Quot dederunt recolas operosa volumina Noctes:
Quantus Apollineâ fulsit ab arte labor.

Cæc-

Cætera quid memorem, quæ gaudent nigra tenebris?
Quæ nitidum gaudent Noctis habere decus?
Æthiopum gens atra placet: Venus ipsa nigrescit;
Memnonioque niger fulget in ore color.
Nulla nigrum melior despexit forma colorem;
Auxit sæpe nigror Noctis in ore decus.
Quinetiam formosa magis se Nocte colorant:
Vmbrosas cupiunt clara referre notas.
Gestit ab vmbroso præfulgere Luna nitore,
Et maculæ nitido Solis in orbe micant.
Vere nouo campi nigro se flore coronant:
Pulcriùs in nigro germine vernat ager.
Noctis amant cupidi sibi sumere nomina flores:
Alba nitet suboles noctis adulta sinu.
Nigra supercilij commendant tegmina frontem:
Sæuiùs ex oculis fulminat igne nigror.
Augetur næuis formosi gratia vultus:
Hic decor in niueis quæritur arte genis.
Arborea in siluis frondescere nigra propago
Ambit, & in nigro cortice iactat opes.
Candet ebur felix, ebenum nigrore superbit:
Arbitrium laudis linquere vtrumque negat.
Est pretium gemmæ nigro fulgore nitenti,
Quæritur & nigro lumine gemma micans.
In sua sed redeat nostrum primordia carmen:
Concilient geminum carmina nostra decus.
Lux erit eoi surgentis filia Solis:
Nox nata occidui posthuma Solis erit.

DE

DE HYEME.

Sis inuita licèt, faueas mihi, Musa, canenti,
Et moueas celeres ad mea vota gradus.
Et socias tecum Musas arcesse sorores:
Supplice, si renuant, flectere tende prece.
Sunt Hyemis dicenda mihi fœdissima vultu,
Canaque brumali tempora tecta niue.
Vos iuga Parnassi colitis, Pindique vireta:
Florida punicei prata tenetis agri.
Æterno vos vere tenent lætissima Tempe:
Nullus Hyperborei frigoris horror habet.
Clara meat sine nube dies, Cœlumque serenum:
Phœbus inocciduâ nubila luce fugat.
Aoniæ placido decurrunt murmure lymphæ:
Personat aërio nullus ab imbre fragor.
Perpetuoque virent Phœbeo munere Lauri:
Horrida decutiunt flamina nulla comas.
Hoc viridi malè tristis Hyems viduatur honore:
Quælibet hyberno tempore mœsta iacent.
Cerne maris faciem: furiali feruet ab æstu,
Et fremit irato spumeus ore fragor.
Non suprema tenet rabies agitata marina:
Ima procellosi turbinis ira ciet.
Æquoreum ne crede salum: stant aggere montes
Congesti, assurgens prouocat vnda polum.
Collisi resonant fluctus: dat prælia pontus:
Vnda vndam trudit, pulsa repulsa redit.
Neptuni certant acies, & littora pulsant,
Et caua clamoso murmure saxa sonant.

Quæ-

Quaque prior certamen init maris vnda, refracta
Si retrahat gressum, terga repulsa dabit.
Altera succedit fluctu munita recenti:
Perque vices agmen surgit ad arma nouum.
Nonne vides, Cælum qualis nunc asperet horror?
Fœdaque cæruleum turpet imago polum?
Tetra polum caligo tenet; stat nubibus aër
Septus, & vmbroso syrmate lucis inops.
Ægra dies lãguet: vapor occupat humidus æthram.
Deficit emoriens Solis in axe iubar.
Cuncta tenet luctus: tonitru Cælum omne tremiscit,
Largiùs effuso vapulat imbre solum.
Eoliæ certant animæ pugnacibus auris:
Flamina flaminibus prælia sæua cient.
Irruit hinc subitus nimbosis imbribus Auster,
Inde procellosas concitat Eurus aquas.
Africus occiduis crebrò reuolutus ab oris,
Sæpe onerat, largas sæpe resoluit aquas.
Horrida quid referam spirantes frigora Cauros?
Et Boreæ gelidas, flamina sæua, minas?
Dicite qui positas Arctoas longiùs oras
Incolitis, longè quos grauis Vrsa tenet:
Tristis Hyems quæ monstra parit? quæ mira sub axe
Egelido, pauido corde videnda, ferat?
Non sat erit vincire gelu, nexuque niuali,
Et Scythicâ exiguâ compede fontis aquas:
Sistere nec rapidos fluuiorum flamine cursus;
Nec satis ingentes corripuisse lacus;
Iniicit & pelago glacialia fræna tumenti,
Indocilemque docet Nerea ferre iugum.
Mira vides Hyemis spectacula: qui modò pontus
Ferre rates potuit; rustica plaustra vehit.

Flu-

Flumina dura boues calcant: in marmora lymphæ
Concrescunt: didicit lympha referre solum.
Agmina per duros fluuios armata geruntur;
Per solida armatus flumina transit eques.
Pone tuas iam ponte minas, fluuijque minaces
Flectite ceruicem; sub iuga cogit Hyems.
Nunc me terra vocat, glaciali frigore, cultûs
Indiga: tristis Hyems abstulit omne decus.
O vbi pictus honos telluris, florea pubes!
O vbi pratorum germina, culta seges!
Squallida cuncta iacent; viridi spoliantur amictu
Æquora camporum: rura virore vacant.
Pampineas ne quære tuas, Bacche inclite, vites;
Alsit ab egelido flamine vitis honos.
Arboreos ne quære tuos, Pomona, decores;
Arbor quæque suis est viduata comis.
Est viduata suis populatis frugibus æstas:
Vberis Autumni copia fluxit inops.
Languet iners Annus: marcet robusta iuuentus:
Texerunt gelidæ tempora cana niues:
Sanguis alit nullus: trepidus tremor occupat artus,
Totaque destituit viuidus ossa calor.
Fœda pruinosos distillant ora liquores:
Lurida stat mento stiria ducta gelu.
Nauita subducas, religatâ puppe, carinam:
Sit tibi arenoso littore vincta ratis.
Nescit Hyems seruare fidem: nunc ore sereno;
Mox ponti rapido turbine versat aquas.
Cerne polum. nigrâ condit sub fronte procellas:
Improuisa dabit prœlia dura rati.
Hoc tibi sidus alet nimbos: dabit illa minaces
Stella Notos: fundo concitat ista salum.

O quæ, curuatis tibi Cinthia cornibus arcus,
Spicula sæua parat! tu caue solue ratem.
Quisque domi maneat: famulos sibi suscitet ignes:
Ingerat accenso grandia ligna foco.
E querno veniant succiso robora trunco;
Vel quæ sicca tibi populus alta dedit.
Vt citò flamma flagret, siccatas suffice vites;
Vel quæ ligna tibi pinguis oliua tulit.
Claude fores: cautus rimosas obde fenestras,
Sibila ne furtim sæuior aura meet.
Diues eris? paries aulæis frigora vincat:
Circumeant mollem tegmina rubra torum.
Pauperies te vota iubet dormire patentem?
Tu, dum sæuit Hyems aspera, conde caput.
Hinc mea Musa, gelu cùm tempora sæua rigescunt;
Sæpe mihi Vati mollis adesse negat.
Sunt, inquit, tibi membra diu durata labore;
Me teneram duro frigore lædit Hyems.
Indulsi nunc stulta tuis mollissima votis:
Dicam, si repetas: Obriguêre pedes.

DE VERE.

QVid trepidas, mea Musa? veni: nũc lucidus annus
Se se aperit: læto Vere renidet humus.
Tristis hyems abijt: niuei cessêre rigores:
Egelidi Boreæ murmura muta silent.
Diues ab axe nitens Aries ridentis Olympi
Pandit odoratas Sole tepente fores.
Raptor & Europæ, locuples meliore iuuencus
Furto, Phœbeum tergore vectat onus.

Flo-

Flora sinus pandit nimbo cumulanda nitenti:
Rustica odoriferas Nympha reportat opes.
Certatim tenero decisos pollice flores
Dextra puellaris condit auara sinu.
Mox sibi de nitido componet flore corollas:
Dextra geret flores; florea serta comæ.
Ah quoties, festina rosas dum cespite carpsit;
Indoluit cæsâ sente puella manu!
Cæsa tamen pergit (tanti est viduare roseta)
Et roseum, fuso sanguine, ferre decus.
Et quamuis operosa rosis intenta legendis,
Inuida puniceum suscipit illa decus.
Stat Rosa sublimi solio rubra fulta virentis;
Imperat, & florum sceptra superba gerit.
Multa viden' circum tueatur spina satelles,
Arceat & cupidas aspera sente manus?
En demissa rosam veneretur prona minorum,
Seruiat & florum cætera turba rosis?
Stat totum regale decus: præfulget ab auro
Vertex: purpureos induit illa sinus.
Æmula proh quoties, penito sub corde, rubori
Inuiditque suæ quòd caruêre genæ.
Ah te ne rapiat demens hæc vana cupîdo:
Puniceas decorant dona caduca rosas.
Quæ rosa nunc rutilat; mox languida, Solis ab æstu
Sicca, cadet: totus fronte peribit honos.
Haud aliter, quæ viua suo nunc purpurat ostro,
Mox tibi crispatis defluet illa genis.
Cuncta vigent cernas rediuiuo Veris ab ortu:
Cunctaque telluris viuidus humor alit.
Sol tepido illapsus per spiramenta calore,
Robora restituit semisopita diu.

Sopitosque diu Boreali flamine succos
Excitat. hoc læto terra virore nitet.
Hinc sata florescunt: gignuntur ab arbore frondes;
Et nemorum viridi germine frondet honos.
Vere nouo tellus spectacula grata ministrat,
Turpior hybernis quæ fuit antè notis.
Occurrunt oculis virides telluris amictus:
Fragrat odorato germine lætus ager.
Frondet apex nemorum; frondosa cacumina montes,
Siluaque frondosas gestit habere comas.
Fronde virere nouâ cernit sua germina Pallas,
Phœbeisque suus frondibus extat honos.
Vitibus & Bacchus reduces gratatur honores,
Vitiferumque iugis Vere redire decus.
Dona cupit Veris necnon Pomona recentis:
Hinc illi largo munere census erit.
O quæ læta auium pertentant gaudia pectus!
Quæque suum cantu promere carmen auet.
Vere canunt primo nascentis Solis in ortu,
Et repetunt cantus, Sole cadente, suos.
Tempora sollicitè Veris suspirat hirundo,
Et memor aprico tempore fida redit.
Traijcit immensos, disiecta per æquora, tractûs,
Et repetit priscos, cognita tecta, lares.
Et trabe suspensos componit garrula nidos,
Et reparat generis pignora læta parens.
Instat hyems? calidos sibi quæret hirundo penates:
Sed tamen vsque memor, nuncia Veris erit.
Vsque meat, remeatque vias: nec fida penates
Linquit, ni condant inuida fata diem.
Infelix Progne, nunquam tibi gaudia Veris
Eripient querulos vocis ab ore sonos?

Vsque

Vſque tua flebis casûm lacrymoſa ſororis?
Indignum repetes crimen & vſque viri?
En Ver reſtituit faciem ridentis Olympi,
Quam tetro abſtulerat ſyrmate triſtis hyems.
Otia, pacato ponto, tranquilla redibunt,
Criſpabitque leuis leniter aura ſalum.
Non tibi tam crebras Cælum dabit imbre ruinas:
Excutiet raras fulminis ira faces.
Somne quîd ignauo pergis languere grabato?
Vere ſoporatum diſcute, Somne, caput.
Ver mihi laudis opus: pigrum depelle ſoporem:
Da vigiles oculos: ſedulus aure vaca.
Res tua tranſigitur. quandonam mollior vnquam
Rore ſoporifero te premet alta quies?
Stertis iners longas præpingui corpore noctes?
Ex oculis gluten pellere dextra negat?
Ad penſum reuocat te lux exorta diurnum:
Torpida, deſes adhuc, membra ſopore grauas?
Ver tibi tam longo negat indulgere ſopori:
Deſidia hæc turpis, non ſopor altus erit.
Otia Ver damnat: languores damnat inertes;
Temporis hæc ætas viuida robur amat.
Agricola exercet rurali membra labore,
Perque agros ſulcos ducere Arator amat.
Nauita Vere dabit turgentia carbaſa ventis,
Et longum puppi per mare curret iter.
Vere iter in longum ſibi ſumere cura viator,
Et ſibi per longas currere cura vias.
Ver ſibi deſignat meliora ad munera Pallas:
Fortiùs ingenij robora Vere vigent.
Et mihi Vere venit pangenti carmen Apollo
Pronior, & facili carmine Muſa fauet.

 Ver

Ver tibi perpetuum ne ſponde: deciduum Ver
Hîc erit: æterno ſidera Vere nitent.

DE ÆSTATE.

ÆStus erit labor hic mihi tertius. vritur igne
Terra Canis: tellus vſta Leone flagrat.
Te montanus apex, cliuoſum culmen, aperto
Cælo habet, & curuum, fronde virente, nemus.
Alta domus ſurgens patulis decorata feneſtris;
Eolijs animis, Sole calente, patet.
Partenope ſubiecta iacet: maris vnda ſupina
Sternitur, & Crater cingit ad ima ſalum.
Statque biceps contrà, preſſâ ceruice, Veſeuus,
Et quæ læta magis dorſa ſupina virent.
Hinc Pompeianum, Stabias, atque Herculis vrbem,
Et quos preſſa tenet Nola tueris agros.
Hinc etiam ſpectas Æquenſis mœnia Vici,
Et Surrentinis ſubdita Plana iugis.
Net te tecta latet Lubrenſis Maſſa, Mineruæ
Sedes, egregij Vatis honora parens.
Vos etiam Capreas, maculatas turpè Neronis
Criminibus, celſo culmine tecta vident.
Sed me preſſa tenet ſinuati littoris ora:
Torret arenoſis ignibus vſta plaga.
Prægrauis aura nocet mihi fœdis flatibus Auſtri,
Et nocet infenſi prægrauis aura Noti.
Æquoris vnda ſilens, pigro correpta ſopore,
Torrida Phœbeâ feruet aduſta face.
Vſta repercuſſos radios iacit vnda tepentes,
Et mouet æſtiuas in mea damna faces.

Destituor gelidâ, nocuo solamen in æstu:
Ægra fames languet, gliscit iniqua sitis.
Irritus in noctem somni solamina posco:
Ille meas surdâ respuit aure preces.
Ah pereat Somnus, vigiles qui linquit ocellos:
Humida sufficiat pabula nulla vapor.
Nec prodesse queant stillata papauera succis:
Deses & ipse vigil sit precor vsque Sopor.
Sed iam Musa refer, quæ nobis dona ministret,
Commoda, quæ nobis torridus Æstus alat.
Alma Ceres, frustra venient tua dona reperta,
Si piger æstiuo Sirius igne flagret.
Et quæsita diu Proserpina nata per Orbem,
Triticeam nobis vana tulisset opem.
Tristis hyems condit Cerealia semina terræ,
Et prosciβa priùs vomere terra fouet.
Condita putrescunt: exin viget herbida messis:
Viuida vere nouo crescit adulta seges.
Triticeis sensim granis complentur aristæ:
Ignee quid cessas, Phœbe, iuuare face?
Iam matura coquit repetitis solibus Æstas
Messem, messoris falce resecta cadat.
Cæsa iacet ferro: crebros vocat area pulsus:
Iam pulsata Ceres pignora flaua dedit.
Horrea laxentur: felix annona labori:
Respondit deno pignore fœta Ceres.
Plurima vt erumpat videas Formica cauernis,
Atque humeris vectet grana minuta suis.
Prouida sub latebris Cerealia dona recondit:
Atque hyemis pellent dona repôsta famem.
Quid tu truncus iners torpes? quid deses in vmbrâ
Stertis, & ad vitæ munera turpè iaces?

Formicas habeas, ô brutâ mente, magiſtras:
Has adeas: ſolers diſcitur inde labor.
Nec quærenda procul tibi ſunt frumenta: propinqui
Plurima Campani gleba miniſtrat agri.
Cerne laborantes flauâ ſub meſſe nouales:
Iam tibi plena ſuum curuat ariſta caput.
Hinc tu triticeos quæras ad prandia fœtus:
Grata tibi veniet mollis, & alba Ceres.
Et mihi materiem libanti Numen ad aras,
Sole ſub æſtiuo ſpicea dona datis.
Flaueſcunt Solis Cerealia dona per æſtum:
Hinc mihi ſtat veſcum Numen in orbe latens.
Hâc dape ſe Numen condit: per verba recedit
Tecta Ceres: Cereris tegmina Numen habent.
Et tua ſunt, Æſtas, quæſiti dona Lyæi:
His quoque ſe ſacrum condere Numen amat.
Nempe Æſtus calidis maturat ſolibus vuas:
His eſca, his conſtat viuidus amne latex.
Æſtiuoque vides miteſcere poma calore,
Mitia quæ venient poma legenda manu.
Tende manus: præbet tibi iam ficulnea ficus
Deciduo collo; mella per ora liquant.
Et nemoris varij pyra mitia fercula præbent
Poſtrema: exectto cortice dente teras.
Auceps quid ceſſas modò retia tendere ramis?
Ad ſua iam ficus prandia poſcit aues.
Tuque etiam ramis laqueos compone doloſos,
Et lita ſit viſco plurima virga latens.
Non ego nunc volucris capiendæ proſequar artes,
Quas multas alias aucupis aſtus habet.
Muſa etenim nimio mea nunc langueſcit ab æſtu,
Damnat & æſtiui temporis vſta faces.

Sis mea Musa memor ne pectus flagret ab irâ:
Quas damnas pudor est condere corde faces.

DE AVTVMNO.

NVnc mea Musa tibi, locuples Autũne, laborat:
Temporis extremum claudere tendit opus.
Sed mihi difficiles veniunt ad vota Camœnæ:
Respuit Aonius reddere verba chorus.
Plectra venire negant: clamoribus æthra resultat:
Rura per atque vrbem garrula probra sonant.
Turba procax fœdâ iactat conuicia linguâ:
Ludîcris resónant cornua curua sonis.
Cuncta madent musto: plenis stant corbibus vuæ:
Expedit ad pensum quæque puella caput.
Vua liquat roseos pedibus calcata liquores,
Insanisque modis ora rubore vacant.
Mutua redduntur conuicia: probra lacessunt:
Probra ioci irritant, nec sine felle iocos.
Mænadas insanos credas agitare furores:
Turpiter amentes iurgia ferre choros.
Prisca suum nobis concedit Roma lupercal:
Nec Salios brutâ mente referre pudet.
Ah pereat qui impunè dedit lacerare pudorem,
Et docuit fœdos edere verba sales.
Nulli hominum parcit Calonum turba loquentum,
Et musto vultus illita, probra vomit.
Hinc Bromij mea Musa lacus intrare recusat,
Et fœdata nouo crura videre mero.
Probra timet, probris nullis assueta Camœna:
Casta Cupidineos non probat aure iocos.

Ast

Ast ego: Vincamus pariter mea Musa ruborem:
Indecores etiam sceptra tulêre notas.
Et tua Parthenope quondam Regina licenter
Dicitur impuros sollicitâsse iocos.
Si qua silens probris Reginæ lingua pepercit;
Supplicium meruit lingua negata probris.
Illa sed exuto probris quæ lingua pudore
Turpiter indulsit, regia dona tulit.
Mancipium Veneris, probrum regale Pudoris,
Siccine fœmineum proijcis ore decus?
Sed iam tempus adest prælis vrgere racemos,
Pressaque supposito tradere musta lacu.
Sunt gemini sub tecta lacus: hic excipit vuas
Altior; ille imus musta soluta tenet.
Cerne pedum pulsus; pedibus tua munera calcant:
Calcabis roseo munere Bacche caput.
Et iam pressa replent subiectam musta lacunam:
Æstuat infuso spumeus amne liquor.
Nec pedibus calcâsse satis tua dona Lyæe;
Mox noua supplicij pœna luenda manet.
Mole super pendet quercus suspensa trabali,
Grandia quam nixo pondere saxa grauant;
Hæc iterum calcata semel tormenta subire,
Effluat vt totus cogitur vua liquor.
Insanum hoc pondus paleam dixêre minorem,
Sysiphius leuior quâ foret ille lapis.
Hausta lacu sed musta cadis in dolia defer:
Hîc sua clausa diu robora Bacchus alet.
Hæc tua læta Venus veneratur dona Lyæe:
Languerent turpes hoc sine rore faces.
Sed mea Musa moras hîc dudum ferre recusat:
Nam parat insanos lingua soluta iocos.

Quàs

Quas alias Autumnus opes ferat edere carmen
Mox breue festinat: Pieris vrget opus.
O quos rura dabunt locupleti fœnore fructus!
Rustica quæ referent munera larga manus!
Collectos seruabit hyems ex arbore fœtus:
Inuidiâ tristis bruma niualis erit.
Nil glacies armare iuuat, gelidosque Triones;
Horrida nil Cauri flamina ferre minas.
Quîd terram durare gelu, canisque pruinis
Vrere? quîd campos perdere certet hyems?
Quas feret Autumnus locupletes ruris opimi,
Sinceras hominum cura recondet opes.
Ac modò succisis viridi de vite racemis,
Tempore brumali pensilis vua nitet.
Et pyra seruantur numeroso condita censu:
Seruantur pleno poma repôsta penu.
Quod mirere magis, Veris seruantur adulti
Munera, perque hyemem consita fraga rubent.
Cernis vt exacto nuper, pulsoque Decembri,
Lydia rubra super pignora ficus alat?
Et noua miratur redeuntis temporis æstas,
Præteritique æstus dona coire simul.
Tempora quîd memorē numero discreta quaterno?
Confudêre vices tempora quæque suas.
Igne Canis flagret, succendat Sirius æstus;
Stant sua tecta gulæ mitia poma gelu.
Hæc decet Autumni secteris tempora, Virtus:
Te vacuam nunquam fructibus esse decet.
Sed votis aduersa vides, quæcunque recurrant
Tempora, tu, fructus indiga, spreta iaces.

DE

DE TERRA.

SVnt mihi dicendi latæ Telluris honores;
Hoc sibi nam meritum Terra reposcit opus.
Ponderibus librata suis immota quiescens,
Nixaque non vllo cardine firma manens.
Ima tenet Tellus: humeris elementa recumbunt
Fulta suis: melior pondera fulcit Atlas.
Sustinet insanis reuolutum fluctibus æquor:
Aura leuis Terræ pondere nixa meat.
Dorsa recurua ferunt nemerosa per ardua siluas,
Et domitura ferunt robora celsa salum.
Et gerit innumeras elatis molibus vrbes,
Cunctaque regnorum pondera Terra gerit.
Et gerit impositas nexis sibi montibus Alpes:
Fulsit Olympiacum te quoque culmen Humus.
Firmat Athon Tellus, & Tellus sustinet Ossam:
Pelion & fulcit, Caucaseumque iugum.
Hîc euecta nimis turrita cacumina tollit;
Pronior hîc molles Terra supinat agros.
Hinc laxata patet diffusa per æquora campis;
Vallibus inde cauis ima reclinat Humus.
Tecta latet, quâ multa mari, quâ multa reclusa
Panditur, atque altas Terra repellit aquas.
Finditur illa alibi, rapidas dissecta per vndas;
Vna nec à rapidis Insula surgit aquis.
Quid referã quas condat opes? quæ munera gigni
Quas Orbi fruges læta ministret Humus?
Sufficit hæc nobis generosi dona Lyæi,
Et liquidas viridi è palmite promit opes.

Se-

Semine fœta sinum flauentes gignit aristas:
Gignitur è stipulis flaua terenda Ceres.
Pallentes oleas, optatum munus oliui,
Educat. hæc mentis munera Pallas amat.
Peonias quascunque cupit Podalirus herbas,
Et quæcunque cupit pharmaca, Terra parit.
Munificamque suam Terram Pomona salutat:
Autumni hæc etenim diuitis edit opes.
Hîc armenta vigent: ditescunt rura colonis:
Silua feras, Elis maxima iactat equos.
Et vobis Seres bombycina fila parantur
Munere Telluris, textile, diues opus.
Æquorei cursus Tellurem nauta parentem
Noscit & ex illâ robora cæsa rates.
Thuris odorati, funebria munera myrrhæ,
Balsama, vulneribus pharmaca, Terra dabit.
Adde piper mordens; piperi iungatur amomum:
Adde crocum: casiæ dona referre decet.
Nec non Eoos, medicamina nota, lapillos;
Qui febrem, & gelidum vincere virus amant.
O te ne pigeat Tellurem intrare repôstam:
Sollicitâ arcanos mente reuolue sinus.
En quæ tecta latent locupleti, ac diuite censu
Munera. quot Tellus ima recondit opes!
Innumeras quæsita dabit tibi Terra fodinas:
Gaudet ad inuentas raptor auarus opes.
Fœta diu Tellus, Phœbeo Sole parente,
Aurea visceribus pignora læta gerit.
Argentumque dabit fuluo stridentius auro;
Ferrum etiam duro gignet & illa satu.
Artificum solers quæcunque metalla laborat
Cura, suo Tellus educat ima sinu.

Pro-

Progenies hominum . ona hæc malè grata rependet:
Donaque ad immeritum vertet iniqua nefas.
Nempe iter innumerum sceleri molitur ab auro:
Qualibet argento noxa patranda venit.
Fit via vulneribus ferro: conflatur in enses:
Ibit in igniuomos massa recocta tubos.
Hos tibi non Tellus munus suffecit in vsus:
Euadunt vitæ dona ministra necis.
Se tamen vsque tuo memorem seruabit amori
Terra: sepulcrali conteget ossa sinu.
Quæque homini primos natales tradidit ortus,
Funeris extremi funebris vrna datur.
Se sibi restituet: limo data vita parente,
In patrium redeat vita soluta lutum.

DE AQVA.

NVnc mihi Pymplæo totos de fonte liquores,
Et de Castalio fonte fluenta petam.
Aonij latices largo nunc amne fauete,
Vbere nunc venâ Pegasis vnda faue,
Lympha parens mihi laudis opus, præconia nostri
Carminis emeriti vestra reposcit Aqua.
In vestros labor iste meus desudat honores,
Ipsa meis ausis Lympha secunda veni.
Edita cùm primùm liquidos Lympha extulit ortus,
Fusa super, Terram tota tegebat aquis.
Numinis imperio parens, mox Vnda recessit,
Abdita quæque fuit, sicca patescit Humus.
Ingentes patuêre sinus, patuêre cauernæ:
His conclusa salum Lympha coacta dedit.

Per-

Perque means eadem telluris Lympha meatus,
Æquoream subolem, flumina plura tulit.
In caua qui trusus, fluctu defluxit amaro;
Flumineus fluxit dulcior amne latex.
Hinc scatebris gelidi fontes, riuique perennes;
Hinc fluxere lacus, fluxit & vda palus.
Nunc primùm, mea Musa, decus sibi vindicet æquor,
Atque habeat meriti carminis orsa salum.
Vicini saluete mei spectacula ponti,
Quæque meos oculos vsque tenetis aquæ,
Quæ mare digna canā? vestras quæ carmina laudes,
Æquora, pro meritis æqua referre queant?
Vos per aperta soli, campo diffusa liquenti,
Tangitis Eoos, Occiduosque sinus.
Pars quota Telluris vestro non lambitur æstu?
Quis vestro, Terræ, limes ab amne vacat?
Æquora disiecto dederunt commercia Mundo,
Ignotamque dedit visere pontus humum.
Occidui Solis, nascentis & ora lateret,
Per vada ni liquidum Lympha dedisset iter.
Hâc via facta rati, tenuerunt vela profundum:
Puppe peregrinas Nauita vexit opes.
Æquora belligeris monstrant noua regna carinis;
Veliuolum tribuit sceptra reperta salum.
Quot retulit merces sulcato Nauita ponto!
Quot medicas fruges pontus habere dedit!
Attulit ignotos peregrinæ nauis odores,
Cinnama perque salum Vector habere dedit.
At pelagi rimare sinus, rimare profundum,
Squamigerum, censu diuite, volue pecus.
Obruet innumero censu te turba natantum:
Mira dabunt imo condita monstra salo.

Balænas videas æquantes molibus vrbes,
Tanta nec rupes saxea molis erit.
Ingentes tollunt immania terga carinas,
Naufraga tam vasto corpore pinus erit.
Musa quid incassum pisces censere marinos,
Vndiuagum tentes omne referre genus?
Plura tibi dabunt Neptunia regna natantum
Agmina, quàm Tellus educat ipsa feras.
Cerne hilarem gestire gulam. maris illa recentes
Ad mensæ expectat prandia grata dapes.
Nulla gulam magis irritat, cupidamque lacessit,
Quàm de piscoso præda petita salo.
Vin' pelagus quas condit opes audire repôstas?
Vna his expleri posset auara sitis.
Quis rubra cõmemoret gẽmas, quas condit Erythra?
Quas tegit innumeras Oceanitis aqua?
Orta rubent imo ramosa corallia ponto:
Candida gemmarum munera pontus habet.
Inuitus referam quot pontus sorbet hiatu
Diuitias: raptor quot sibi quærit opes.
Tot pelago puppes locupletis mercis onustæ
Haustæ, raptori sunt data præda mari.
Nunc pelagi mores varios, variumque tenorem
Exequar, & quantos contegat amne dolos.
En tibi ridenti, & placidâ substernitur vndâ;
Lambit arenosos leniter vnda sinus.
Crispatur placidis, aurâ plaudente, susurris:
Atque iter ad liquidum carbasa tensa vocat.
Sed variat mox Vnda vices: fremit ore minaci
Æquor, & elatis fluctibus astra petit.
Nil mihi cum hoc pelagi monstro, vada salsa reliquã:
Ad sua me reuocet munera dulcis Aqua.

Hæc

Hæc discreta duas sibi destinat ardua sedes
Ætherias, sedes pressior optat humum.
Hanc ego prætercam sublimi sede locatam
Siccus aquam: nullus fontibus extet honos.
Non alios Cœlum supra sibi destinat imbres,
Quàm pluuios, nubis quos vapor intus alit.
Vos humiles sectabor Aquas, fluuiosque perennes,
Quique amnes madido rore rigatis humum.
O si Musa memor mihi flumina cuncta referret,
Cunctorumque memor nomina nota daret!
Non te, magne fluens septena per ostia Nile,
Indictum sinerem, qui caput abdis aquis.
Danubij canerent mea carmina lata fluenta;
Ingentes alto qui vehit amne rates.
Quid Ganges auri genitor? quid magnus Araxes?
Pactoli, Eufratis, nomina censa darem.
Eridanum magnum, fluuiorum regna tenentem
Proferrem, Rhodani lympha canenda foret.
Sequana Gallorum, versu celebranda Garumna;
Tibrydis, & Lyris nomina censa forent.
Et Scaldim toties Belgarum cæde cruentum,
Sanguine Romuleo te & Thrasimene darem.
Non ignota forent Vulturni nomina, lætum
Campani ruris, fertile pondus aquæ.
Tuque Poëtarum genitor, Sebete, venires,
Imbris inops, famæ diues in Orbe latex.
Sed tenuis non ista mei sunt carminis ausa:
Audet in ingentes nec bene linter aquas.
Expediam queis nunc Lymphæ vos vsibus aptæ;
Quæ dulces nobis dona feratis Aquæ.
Vt quæcunque vigent, te norunt, Vnda, parentem,
In te & natales cuncta referre suos;

 Sic

Sic te cunctorum altricem, vitæque ministram,
Munere te madido cuncta fouere canunt.
Deneget imber opem; tellus arescet, ab imbre
Tristis, inops: pluuijs Vnda maritat humum.
Fructus erit nullus: periêre rosaria Pæsti;
Nulla seges: nullo germine lætus ager.
Pascua nulla virent: pereunt armenta; bidentes
Deficiunt: campos squallidus horror habet.
Subsidium si Lympha neget; negat, igne ministro,
Munera tosta focis candida ferre Ceres.
Neglige mensa Coquos, feruens si deficit Vnda:
Illa tibi innumeras apparat vna dapes.
An vos prætercam gelidæ solatia Lymphæ,
Amnibus arentem pellere nata sitim?
Quæ iucunda mihi veniant solatia, rores
Si gelidi desint, quos tenuere niues?
Dicite, quos vrit repetitis febribus æstus,
Queis collecta diu torret & ora sitis.
Quæ mage grata venit torrenti membra calore,
Quàm quæ de niueo promitur vnda gelu?
Ducitis insomnes dum tristia tempora noctis,
Irrigui fontis sæpe recurrit Aqua.
Conciliant simulacra diu reuoluta soporem,
Ipsaque deludens roris imago placet.
Perstrepit vndosus defixâ mente susurrus:
Rupe cadens grato murmurat amne latex.
Infelix Libye Cælo subiecta calenti,
Semper & ardenti Solis adusta face;
Roris inops, gelidæ desertaque munere Lymphæ,
Quæ tibi nam miseræ gaudia læta canam?
Ipsa mihi arentes recolo dum fontibus oras,
Sicca hæret sterili carmine vena fluens.

DE

DE AERE.

DA vocale melos, da nunc mihi carminis ausum:
Ad numeros faciles suffice, Musa, pedes.
Ad sua me reuocat præconia flabilis Aër,
Et vocis meritum iure reposcit opus:
Ille meos animat vitali flamine cantus:
Aërio potis est munere lingua loqui.
Irrita lingua foret, nulla eßent verba palato:
Aër destituat guttura, muta silent.
Aëris afflatu concentibus æra resultant:
Et venit ad molles fistula tacta modos:
Mortua languescit deserto tibia cantu,
Muta chelys, citharam deseruêre fides.
Omnia muta tacent si fractus deficit Aër,
Et cantus vacuis auribus ora negant.
Quid vitæ prodeßet amor, si flaminis haustus
Feruida non vllâ corda iuuaret ope?
Vsque means gelido vitalia corda flabello
Ventilat, & nocuas temperat auræ faces.
Aërium totos se fundit flamen in artus.
Aëris epoto munere vita viget.
Cerne per immensos quàm lato tramite campos
Tenditur, & flatu mobilis aura meat.
Infessâ tellure salit, vagus incubat vndis
Aër, ætherias sustinet ille faces.
Obtutus fugiens Aër, tibi dona ministrat;
Et dare largitor munera tectus amat.
Ille leuis volucres libratis sustinet alis,
Et liquidum celeres findere præbet iter.

Ille sinu pluuias fouet; educat ille pruinas;
Illius egelido munere grando coit.
Ille niues nobis æstiuos cudit in vsus:
Illi accepta refert pocula grata sitis.
Aërio tellus optato supplicat imbri,
Aëris & liquidas sicca reposcit opes.
Aëris vda satis luces sibi terra serenas
Optat, & excussis nubibus ire dies.
Aëriam sibi nauus opem deposcit Arator:
Illius auspicijs semina credit humo.
Aëra prospectat dum soluit Nauita portu:
Nec nisi consulto missa carina salo.
Aëra per patulum dantur commercia ventis:
Cuncta per aërias flamina vecta plagas.
Mutatoque salus Cælo viget ægra salubri,
His meliora bibet pharmaca nulla salus.
Et liquido poscunt vrbes considere Cælo,
Et domus aëriam poscere visa plagam.
Flaua Ceres seritur Cælo commissa niuali,
Et sata præsidio flaminis aucta viget.
Quid mærore domi tabescis clausus? aperto
Te Cælo tribuas, gaudia læta geres.
O seruare queam, quæ alijs documenta ministro!
Mæror erit nullus, nulla vel ægra salus.
Sed cuicunque velis ne te committere Cælo:
Non quæcunque means aura salubris erit.
Austrinum vites, vites caligine septum,
Et fuge quod Cælum prægrauat vda palus.
Aërij natura poli non constat vbique
Vsque eadem; variat mobilis illa vices.
Hic erit inclemens, & semper morbidus Aër;
Hunc vapor offusis nubibus vsque teget.

Ha-

Halitus hunc genio densat crassissimus; illum
Aëra per tenuem purior aura fouet.
Hæc Regio semper Cœlum dabit imbribus vdum,
Impluuiumque aliud siccior ora dabit.
Efferat hunc Aquilo glaciali missus ab Vrsa;
Est grauis assiduis spiritus ille Notis:
Tu, cui membra calent natiuo sanguinis æstu,
Atque halitus reddit corpora sicca nimis;
Humentes habitare plagas, Cælique madentis
Oram sis memor: hæc temperat vda faces;
Heu fuge Cœlũ vdum, pluuijs vsque imbribus auctũ:
Vnda pruinoso prægrauat imbre caput.
Inualidum tibi robur erit, corpusque caducum?
Asperior Cœli non bene culta plaga.
Quid Cœlum variare iuuat? stat funebris horæ
Certa dies: minùs hæc vnde timetur, erit.

DE IGNE.

Extremus labor Ignis erit. Date currere lymphas
Pierides: vestro rore fouete faces.
Phœbus adest: Phœbus se lucidus Igne coronat:
Igne renidentem iactat Apollo comam.
Sidirei in noctes ardescunt Igne pyropi,
Totaque diffusis Ignibus æthra micat.
Vana Prometheos Ignes mendacia cantent,
Non mea fallaci carmine Musa canet.
Sed quas dia priùs Mundi nascentis ab ortu,
Protinus ætherias iussa dedere faces.

Ignea lux ſalue. Flammæ ſaluete nitentes,
Quique animas ſalue flammee cuncta vigor.
Cætera victa tuo cedunt elementa decori:
Ima fugis, pennâ præpete celſa tenes.
Luce nites purâ, fœdæ contagia labis
Neſcis: te iugis candidus ardor alit.
Torpor habet nullus: celeri præteruolat alâ,
Preſſaque non vllo pondere Flamma ſalit.
Infuſo quæcunque vigent elementa calore:
Ignea vis deſit; torpida cuncta manent.
Putris erit tellus; putreſcet mobilis aër:
Imbribus irriguis vda putreſcet aqua.
Nec ſine te certa conſtarent tempora lucis,
Ignee Sol: plantas terra foueret iners.
Semina languerent Ignis deſerta calore:
Apta nec edendis fœtibus eſſet humus.
Perſa ſibi in Numen veneratum deſtinat Ignem:
Multiplici hic Ignis munere conſtat honos.
Lux tua nulla foret terræ penetralibus aurum
Incluſum, ſordens, Igne iuuante, nites.
Pharmaca ſumpta iuuant Ignis decocta caminis;
Stillato prodeſt Ignibus amne liquor.
Squallida deſertis lugerent prandia menſis,
Ni coqueret poſitas torrida Flamma dapes.
Quid Cererem triuiſſe iuuat, ni coxerit Ignis?
Vſibus haud vllis maſſa ſubacta foret.
Veſter, Bombyces, diues labor irritus eſſet:
Serica ducuntur fila voluta focis.
Et ſonitu nullo reſonarent æra canoro:
Ignis ope elata in turribus æra ſonant.
Nec vos belligeræ puppes tormenta iuuarent,
Hoc Fuſor Flammæ munere conſtat opus.

Et rutilant nitido quæcunque metalla colore,
Munificus grato perficit Igne focus.
Quid tenebras paueas obscurâ in nocte viator?
Ignea securum fax tibi pandet iter.
Errat in vndoso malè noto nauita ponto?
E celsâ properet cernere puppe Pharon.
Sæuiat immitis glaciali frigore bruma:
Tristis Hyperboreis flatibus instet hiems;
Hæc mihi pasta focis frigentia damna repellet,
Et me Flamma suo vindicat Igne gelu.
Cerne ædes lapidum compactâ mole superbas:
Cerne arces, vrbes, templa verenda sacris:
Cuncta hæc nulla forent Ignis defecta labore,
Structuræ nullum surgeret artis opus.
Hic tibi dat lapides clausâ fornace solutos;
Illius constat munere calcis opus.
Quis Flammis delatus honos! quæ munera laudum
Exhibita! & quantum constat ab Igne decus!
Nempe Ignis Superum decorat se nomine Numen,
Ignea idem dium symbola Numen amat.
Ignea lex, vox Ignea, Flammea iussa sub Igne
Condita, sub rutilis Ignibus ora latent.
Cerne rubum spinis dumosum: lambitur Igne:
His Mosi è Flammis Ignea verba dedit.
Fulmineo dum montis apex latè Igne coruscat,
Edita sunt denis iussa verenda sonis.
Et sua dius Amor nobis dum symbola pandit,
Symbola dat puras pura referre Faces.
Aduentum testata suum, Cælique fragorem,
Ignea sublimis didita lingua dedit.
Nunc quæ grata tibi spectacula præbeat ignis
Exequar, atque oculis læta videnda tuis.

Quid festos radios memorem, flammasque nitrati
Pulueris; egregios Igne gerente iocos?
Plura hæc per varias surgunt simulacra figuras,
Plurimaque insanas signa datura faces.
Hîc magnum videas caudatâ mole Draconem
Surgere, & è patulo gutture ferre minas;
Est illic volucer diductis Pegasus alis,
Et pede suspenso spirat anhelus iter.
Turritæ surgunt simulatis mœnibus arces,
Et caua, porrectis frontibus, ora patent.
Artifici compacta manu natat æquore pinus:
Æquore nat ficto præda voranda Focis.
Lux vbi iam properat decliues noctis ad horas,
Pergit ad Igniferos plurima turba iocos.
Funiculo dat dextra faces. quæ monstra receptis
Ignibus, & lusus ludicra Flamma dabit!
Exilit hinc pluuius diffusis Ignibus imber;
Pondere mox volucris victa fauilla cadet.
Igneus & turbo vertigine sæpe rotatur:
Antè crepit tonitru, mittit & inde faces.
Fulgura dissiliunt insano agitata furore:
Sta vigil; insani præda furoris eris.
Dant fremitus Ignes, dat sibila Flamma fragores;
Nube tonat, riguis Ignibus imber erit.
Hæc tibi nunc Ignis spectacula læta ministrat,
Ille tibi clausus noxia damna dabit.
Flamma etenim vindex naturæ seruit & arti,
Ambabus sæuam Flamma ministrat opem.
Vesbi, quæ dederis sæuis incendia Flammis,
Quis memoret? quantas struxeris Igne neces?
Vidimus exustas vicinas Ignibus vrbes:
Depressit pluuius tecta superba cinis,

Per

Per campos rigui Ignis decurrêre fluenta,
Aruaque fluminea cuncta vorata face.
Vsserunt virides eiecta incendia vites:
Arboreas cunctas Flamma vorauit opes.
Interiere vaga exustos armenta per agros,
Et data sunt auidis pabula mæsta focis.
Quot cædes hominum! quot funera sparsa per vrbes!
In censum refert vix Libitina suum.
Cerne modos alios Ignis sine lege nocentis,
Flammarum mæsto lumine cerne dolos.
In caua dum cæcus latebrosa cuniculus intrat;
Ad sibi quot strages pandit iniquus iter!
Peste volant Ignis turritæ mœnibus arces:
Deciduas vrbes prona ruina premit.
Fulmina quid memorem denso conclusa vapore?
Ferre illa egelidi carceris arcta negant.
Per caua se nubis, furijs agitata, reuoluunt,
Vdaque nituntur rumpere claustra face.
Vi tandem superante facis discinditur atra
Nubes: igniferum fulmen ab axe ruit.
Nata polo suboles stygias parit igne ruinas,
Linquit & ardentes post sua fata rogos.
In vos prima cadit ferientis fulminis ira
Montes, qui celsum fertis ad astra caput.
Et templi turritus apex, & celsa domorum
Horrida fulmineæ rudera stragis erunt.
Nec te transierim furiali crine Cometa,
Cuius ab aspectu regna caduca tremunt.
Fœda lues Cæli, regnorum flammea labes,
Ignea pernicies, nuncius axe furor.
At mihi non tanti sunt hæc incendia: maius
Æternum vindex Flamma facessit opus.

DE CORDE.

Adsis ales Amor; tibi nunc mea Musa laborat,
Ignibus atque tuis Castalis vnda fauet.
Cordis opus tento. quid tu si incendia Cordis
Desint? pelle faces; spicula frange manu.
Hâc tibi sede locus: thronus hîc tibi surgit amoris:
Illîc tua regna tenes: Corda triumphat Amor.
Dirigis huc arcum; manus huc tua dirigit ictus,
Et, cæco quamuis lumine, Corda petis.
Hi tibi ni pateant aditus, bella irrita tentas:
Nil prôsunt oculi, Corde negante vias.
Et tu Phœbe faue: nam tu quoque victus amore,
Sensisti Idaliâ Corda perusta face.
Nunc sibi prima meum sumat molimina carmen,
Et medicas certâ lege reuoluat opes.
Pectus habet medium Cor: in latus ire sinistrum,
Sed modicè tendit; læua reposcit opem.
Namque latus læuum, in nobis mage frigore pollens,
Par erat vt ferret Corde iuuante faces.
Subsiliens hinc sæpe magis stat læua papilla,
Cordis & à crebris pulsibus icta tremit.
Hunc meritò tribuit Cordi natura calorem,
Et dextram læuâ parte calere magis.
Læuam pigra quies tenet: ast obit vna ministra
Dexterior motus munera dextra vigens.
Sed quam nam fuerint Corda hæc sortita figuram
Scire cupis? tenuis carminis orsa dabunt.

Su-

Supremum quâ parte locum tenet ambitus, orbis
Est maior: mediâ parte coarctat iter.
Cordis at ima teres decrescens stringit acumen,
Angustè pressus crescat vt inde calor.
Sunt gemini in Corde exigui ventres: tenet vnus
Hic læuum; dextrum possidet ille latus.
Est potior quem læua tenet pars: purior inde
Sanguis; vitalis spiritus amne meat.
Dexter pulmoni mox nutrimenta ministrat,
Et referunt gratas Corda refecta vices.
Hinc tibi fons vitæ Cor, & vitalis origo;
Quodque prius viuit, funera sera subit.
O qui Corda premunt affectus! ardet in iras
Cor circum vindex sanguis & amne furit.
Nos ingens timor occupat? en timor ore colorem
Dispulit, & sanguis cordis ad ima meat.
Heu quoties subiti fatum peperere timores!
Corda, nimis refluo sanguine, pressa iacent.
Et pudor immodicus sæpe hæc cita funera gignit
Probrosus: Stilbo tu mihi testis eris.
Nam quid te memorẽ Musarum splendor Homere?
Funeris vna tui causa relata pudor.
Tuque Stagirita, & Sophiæ venerabile Numen,
Non ne etiam tristi fata pudore subis?
Sed quid mœsta memor refero? læta orta repentè
Hanc poterunt subitam gaudia ferre necem.
Lætitiæ hoc sensu laxatus spiritus, altè
Vanescit: potis est linquere corda calor.
Prisca satis firmat Romæ mea dicta vetustas:
Elata est bino funera bina parens.
Vtraque deflêrat natos pia morte peremptos;
Vexit vtrique redux natus vterque necem.

Et

Et querimur quòd vitâ nouis obiecta periclis
Vſque patet! pariant crebra pericla necem!
Nauita quîd trepidas furiales æquoris iras?
Quîd mala formidas abdita ſaxa ſalo?
Deſine bellator belli damnare furores,
Totque ſub incerto Marte referre neces.
Fulmineas querimur diſciſſâ nube ruinas,
Et trepidum querimur motibus eſſe ſolum.
Quòd premat innumeris morbis mors atra dolemus;
Quòd letho triſtes tot patuêre viæ.
Læta etiam pariunt properato funere mortem,
Et pheretrum ſubitò gaudia nata parant.
Nunc ego quîd reliquos turbati pectoris æſtus
Proſequar? has nôrunt corda fouere faces.
Corda tenent Veneris motus, & corda Cupîdo
Poſſidet: hinc varias cernis in ore vices.
Suffuſos videas trepido pallore timentes:
Sanguis opem celerans Cordis ad ima meat.
Et trepidis videas hirtos horrere capillos:
Occupat ima calor; frigore ſtricta coma eſt.
Et timor arentes potis eſt tibi reddere fauces,
Et ſubitam ſicco gignere in ore ſitim.
Collectus tenet ima calor; calor abdita torret
Viſcera, & humorem viſcera toſta necant.
Elicit ex oculis lacrymas dolor; ipſa voluptas
Elicit. heu diſpar lacryma nacta genus.
Nempe dolor victor propellit ad ima calorem:
Spiramenta premit, funditur imbre liquor.
Lætitiæ ſenſus laxat feruore meatus;
Perque oculos laxam lacryma nacta viam eſt.
Amentes inſanus Amor vos reddit, Amantes:
Hæc etiam potuit monſtra tuliſſe Venus.

Cura

Cura grauis quæ Corda premit, quæ noxia mentem
Sollicitat, menti damna nefanda creat.
Sollicitæ assiduus mentis labor: æstus amoris,
Euocat in cerebrum, noxia damna, faces.
Ignibus his nimijs mentis turbata potestas,
Quæ sibi non constant, mox simulacra refert.
Pergis adhuc, Corde hanc nocuã tibi condere pestem?
Vt sis stultus Amans, sis malè mentis inops.
Ad Cor nunc redeo; excordes mea Musa repellit:
Cætera quæ superant, dicere carmen auet.
Quis mihi nunc cæcos aditus, penitosque recessus?
Quis cordis latebras? quis mihi monstret iter?
Hoc frustra tentatur opus: magis æquoris altum
Vestigare libet: dat tibi pontus iter.
Et labyrintheas ambages fila retexent:
Irrita sed Cordis quærere cura vias.
Quodque cauernoso tellus magis abdita condit
Cæca sinu, inuenies; Cor tamen vsque latet.
Callidus ipse etiam stygiâ scrutator ab arte
Fallitur: eludunt Corda repôsta dolos.
Quæ scelerũ portẽta fouent! quæ monstra recondunt
Corda sinu! hîc tacitè cuditur omne nefas.
Hîc cædem innocuam recoquit furor: ardor auarus
Æstuat: accendit fœda cupîdo faces.
Hîc honor immodicus fingit sibi regna: triumphat
Ambitio: voluit cura superba minas.
Inuidus hîc liuor componit mente ruinas,
Hîc fraus immeritos texit iniqua dolos.
Proditor hîc didicit vultum præferre serenum,
Intus turbineâ voluere mente neces.
O quæ tecta latent hominum si corda paterent!
Criminibus nullum tegmen, & vmbra foret.

Nec

Nemo tamen cæcis scelerum se contegat vmbris:
Crimina summa dies cuncta tuenda dabit.

DE RESPIRATIONE

HEi mihi! difficilis per pectus anhelitus arctum,
Prægrauis, atque haustu pigrior aura meat.
Ægra gemunt nimio præcordia pondere pressa,
Vixque animam ductam nixa per ora traho.
Sic me Phœbe iubes defecto flamine, vitam
Ducere? nec reseras pectoris arcta mei?
Ipse modum doceas facilis, quo spiritus auræ
Haustus eat, redeat; quo ferat intus opem.
Tunc mihi pæonius subridens fatur Apollo:
Niteris ad medicæ tu quoque gentis opus?
Sint tibi cura pedes, & carmina. linque medentis
Affectare decus: laurus amica sat est.
At tibi ne fuerit spes irrita, vana cupîdo,
Annuo, sed votis meta sit ista tuis.
Aërios natura tibi si deneget haustus,
In volucres ibit vita soluta notos.
Instrumenta dedit solers natura trahendi
Aëris externi: hoc flamine vita viget.
Sunt etenim pulmo, venosa arteria, corda;
Semita vocalis, cingula quæque vocant.
Materiæ est læuis pulmo, spumæque cruentæ
Instar rarescens, flaminis inde bibax.
Huic tria vasa patent, textum formantia rete;
His sua ventosus munera pulmo subit.
Prima sinum cordis dextrum tenet indita vena;
Pulmonis cunctis partibus illa fauet.

Illi

Illi etenim hac ſoli cor nutrimenta miniſtrat,
Atque illum emerito munere ſanguis alit.
Altera per fibras venoſa arteria cunctas
In læuum cordis permeat alta ſinum.
Tertia, cui vena emeritum dedit aſpera nomen,
Natalem à ſummis faucibus orta tenet.
Hæc biuio primùm diffinditur; inde propago
Multa exit: multa hæc pignora pulmo fouet.
Aura per hos ſenſim multos diffuſa meatus,
Pulmonem leni flamine vecta ſubit.
Nunc quo reſpirare modo natura per auras
Iuſſerit, atque auras ducere Muſa refer.
Nempe externa trahit vocalis flamina vena
Septi ope; pulmonem flamina vecta replent.
Hinc ſe ſe pulmo par follibus vndique tendens,
In cordis regerit, flamina parta, faces.
Mox auras pulmo feruentes cordis ab æſtu
Contractus, geminans munera, corde fugat.
Ergo pulmo gerit vitalis dona flabelli;
Flamen agit gelidum, corda tepore leuat.
Tu tamen ingenium ſolers, curamque tuere
Naturæ: arcanum ſuſpice mentis opus.
Non etenim recto aërium ad cor tramite flamen
Mittit; at hoc pulmo largiùs antè bibit.
Acceptoſque dein flatus ad corda remittit,
Temperet ardentes cordis vt ille faces.
Id factum voluit, quò longiùs ora profari
Verba queant, gelidis flatibus aucta nouis.
Pulmo cauis etenim, crebriſque meatibus auctus,
Acceptum cenſu diuite flamen alit.
In cor illud agit; ſuſceptum corda viciſſim
Pulmoni reddunt: reddere pulmo nouat.

Veh tibi, qui nando pelagi te mittis ad ima,
Et rursum erecto corpore summa petis.
Suppeteret tunc vnde tibi nouus halitus auræ,
Compresso cùm imis ore moraris aquis?
Aëris externi nullus te spiritus afflat,
Ignea qui gelido munere corda leuet.
Nulla etenim licèt aura meet tunc pressa per ora,
Flamina, quæ condit pulmo repôsta, dabit.
Corque iterum calidas pulmoni sufficit auras,
Perque vices, modico tempore, flamen alent.
Sic quoque nimbosos vitabis pulueris haustus
Naribus, & presso sic fugis ore luem.
Pulmoni ast vnde hic motus? quîd credis inertem
Pulmonem, & segni turpè iacere situ?
Corda licèt moueant pulmonem; cingula quamuis
Nunc moueant; motu gaudet at ille suo.
Vin'nunc te doceam quos auræ ductus in vsus
Seruiat, & largo munere præstet opem?
Primò etenim cordis feruentes temperat æstus,
Natiuusque calor flamine sentit opem.
Bina nocent etenim natiuo damna calori;
Immodicum frigus, nulla vel aura leuans.
Inniuibus videas gradientem morte peremptum;
Igne intus presso fata dedere niues.
Cernis hyperboreis ventorum vt flatibus arbor,
Atque pruinosis imbribus vsta perit?
Humor inarescit glaciali siccus ab aurâ,
Nullaque sub sicco germine vita viget.
Sic etiam videas clausos fornacibus ignes
Auræ inopes, presso protinus igne mori.
Flamma cucurbitulis, nullo spirabilis auræ
Flamine respirans, clausa repentè perit.
Inte-

Intereunt homines præclusis faucibus: haustus
Ore vapor feruens gignit ab ore necem.
Quique bibunt animam parcè, sibi funera potant;
Aura calens victrix intus adulta necat.
Ergo vides cur hausta iuuet spirabilis aura:
Illa etenim cordis nata leuare faces.
Quasque creat calor immodicus fuliginis vstæ
Relliquias, rediens exigit aura foras.
His etenim calor opprimitur, nocuisque grauatur,
Vt fumo nimio flamma grauata perit.
Cerne dolor quos altus habet, queis corda fatigat
Angor, vt aurarum flamen ab ore iuuet?
Flaminis egelidi nempe haustu, auræque recentis,
Torridus, accessu pellitur inde vapor.
Adde quod in læuum cordis pulmone remissa
Aura sinum, fiet sanguinis apta parens.
At sine te doceam, quæ nunc animalia ducti
Aëris indigeant, flamen & ore trahant.
Cuncta quidem, queis vita viget, dignata calore
Sunt aliquo, cunctis fert quoque frigus opem.
Cuncta tamen spirare negat natura per haustus
Aërios, alijs docta iuuare modis.
Sanguine quæ pollent, pulmo quibus inditus, haustus
Aërius reficit: cætera cuncta carent.
Vna tamen non est lex omnibus æqua trahendæ
Auræ, si pulmo, si modò sanguis erit.
Nempe quibus pulmo exanguis, fungosus, & albus;
Parcior aërij flaminis haustus erit.
Hæc etenim nimio pollentia frigore, ductum
Aërium modicè flamen ab ore trahunt.
Vtque semel largè potârit flamina pulmo;
Sæpe diu retinet, sæpe retenta iuuant.

Hinc fluuij mures, testudo, sub æquore Delphin,
Rana loquax, Cete, flamina parca bibunt.
Cuncti alij, qui imum coluerunt Nerea pisces
Munere spirandi sub maris amne vacant.
Nec spirare queunt, sepserunt æquoris vndæ
Aurarum halitibus salsa per alta vias.
Quin etiam æquoreo moritur dum piscis in amne,
Nulla per emotas bulla resurgit aquas.
Quod fecisse vides animalia cuncta, sub vndis
Dum pereunt; bullas aura repulsa dabit.
Cætera quæ spirant animalia viscere motum
Dant aliquem; immoto viscere piscis erit.
Et pisces pulmone carent; arteria nulla
Suppetit: est venter paruus in ore cauus.
Quod si imâ tectus piscis spiraret in vndâ,
Halituum omne animal dona sub amne feret.
Cùm tamen intereant cuncta, atq; extractus ab vndis
Auræ ope suffectâ, funera piscis obit.
Amne vigent pisces: his temperat vnda calorem;
Ore trahunt: chelâ sumitur vnda fauens.
Hinc quos chela tenet pisces, dum prægrauat ætas
Longa nimis: chelæ motus & extat iners.
Intereunt etenim qui cordi ex ore meatus
Hærent, & chelâ traduce torpor habet.
Quicquid Anaxagoras obiectet inaniter, ausit
Quid Rondeletius scribere mente sagax.
Isti etenim cunctos pisces spirabilis auræ
Munere donarunt, ore trahente foris.
Nonne etenim cæcis terræ defossa latebris
Aërio ducto flamine talpa viget?
Nonne vides hilares æstiuo tempore pisces
Enare, & patulo flatibus ore frui?

Et

Et norunt pisces dulcem captare soporem:
Nullus non hausto flamine somnus erit.
Aure vigent pisces, pisci vis constat odora:
Vtraque vis ducti flaminis optat opem.
Vase etenim pisces, quod pura repleuerit vnda,
Angustusque aditus summa per ora patet,
Inclusi viuunt, pateat si vasis hiatus
Ad flamen; pereunt ore negante vias.
O vbi nunc Sophiæ mihi quondam culta latentis
Arcana, & penito scita repôsta sinu?
Has mihi mentis enim deleuit pigra senectus,
Et labor vsque nouus sustulit æger opes.
Non laudanda nimis, sed nec spernenda per ausa
Mens mihi tunc fuerat: nunc tenet ima soli.
Immemori, mea Musa, memor mihi scita repone:
Hæc, bene si recolis, me docuisse tenes.
Nunc cecidere animo, & lætor cecidisse; pudendo,
Sed qua mente vales, Musa, rubore leua.
Et cupit hoc etiam, qui nunc mihi præses Apollo
Adstat; ne Sophiæ probra referre queam.
Indulsit bona Musa meis gratissima votis,
Quæque olim docui, rettulit illa memor.
Hæc tibi quid trepidas obiecta refellere? cuncta
Mox, inquit, reluam: pondera nulla tenent.
Spirat, humi defossa, latens sine lumine talpa;
Intus enim tellus flamina tecta fouet.
Interdum piscis summum tenet æquor, at auras
Non spirat: modico tempore viuit aquâ.
Somnus habet pisces; captent licèt amne soporem;
Hausto etenim nullo flamine somnus eget.
Aure sonos captant pisces; afflantur odore:
Atque odor, atque sonus per mare nouit iter.

Et viuit patulo, clausoque foramine piscis:
Interit; at non quòd flaminis extet inops.
Euentum referas in clausam fluminis vndam:
Clausa tepet: sueti frigoris arcet opem.
Phœbe quid intactum ne linquas; pauca supersunt,
Quæ nunc expedias. perfice laudis opus.
Æqua rogas, inquit, tibi nauiter hæc quoque pandã,
Quæ respirandi munera grata iuuant.
Præ cunctis habeas. motu sunt ducta perenni,
Cordaque non vllus languida torpor habet.

QVANTVM MOTVS sanitati conferat.

NVnc mihi languor iners hominũ damnandus, & (oti:
Plectendus torpor desidis: aure vaca.
Sed tu Phœbe priùs motûs mihi lucra reuolue;
Pæoniâ veniet gratior arte labor.
In me ne mdicus tamen instruat arma caueto
Sæua furor: medicum Musa reuoluit opus.
Ergo age Apollineâ mihi fultum carmen ab arte
Promat opes, medicus ponat & arma furor.
Quid iuuet expediam, motus; quæ dona saluti
Afferat, & modicus parua per orsa labor.
Sedulus ista legas: custos seruare memento;
Ægra diu, relegas, fit minùs ægra salus.
Cur artus torpore necas? cur otia longa
Quæris iners? putris cur tenet vsque quies?
Exercere iuuet modico tua membra labore:
Restituet modicus viuida membra labor.

Cun-

Cuncta vigent motu: marcescunt cuncta quiete.
Motûs erit nullus? nullus & orbis erit.
Flamina motûs agit: motûs ciet æquora: motu
Aëris assiduo flabilis aura viget.
Flumina perpetuis decurrunt amnibus: ignis
Mobilibus flammis sidera anhelus amat.
Putre solum languet, cultor ni findat aratro;
Irrita sunt pigro semina iacta solo.
Haud aliter si corpus iners tibi torpeat, artus
Languescunt: pigro membra calore vigent.
Excutitur motu qui torpet inutilis humor:
Ulla nec vt valeas pharmaca fœda bibes.
Quique iuuare queunt plures sunt corpora motûs:
Aptior est lentus quo breue carpis iter.
Sit licèt apta minùs, lentam conscende quadrigam;
Sis memor interdum currere vectus equo.
Sed caueas, nimio membra exercere labore:
Immodicus lædit viuida membra labor.
Incessus mollis tibi plurima lucra reponet:
Sentiet hoc motu robora tecta salus.
Luxuriem humorum nimiam depascit, & artus
Roborat, ac vires læta iuuenta feret.
Et tua grata tibi venient, annosa senectus,
Commoda. torpentem corpore pelle luem:
Sensibus augetur vigor inditus humor abactus:
Pergraue depressi corporis arcet onus.
Stat sua vis neruis purâ compagine: membra,
Fæce graui pulsâ, munus obire queunt.
Languenti reddit stomacho sua munera motûs,
Et facilè ingestas concoquit ille dapes.
Corporis & motûs didicit laxare meatus:
Inueniet laxas pestis iniqua vias.

Quando etenim collata mihi benefacta rependam?
Vos opportunam ritè tulistis opem.
Ægra salus medicas cunctas iam spreuerat artes:
Perdita ridebat pharmaca pota salus.
Nil mihi profuerant flauis rehobarbara succis:
Pocula felle magis deteriora nihil.
Nil toties experta mihi medicamina, vires
Herbarum, cunctæ Pæonis artis opes.
Nempe quibus fueram meritis tumulandus arenis;
Vixi iterum; medicâ iuuit Apollo manu.
Fulmineâ vindex me texit laurus ab irâ:
Morbosas vindex depulit illa faces.
Quin ego vos foueam mea carmina? tetra fugarat
Quam Pallas, metrico carmine vecta salus.
Nunc mala quisque bonus procul otia pigra repellat,
Torporisque procul iusserit esse luem.
Ingenuas iuuenum corrumpunt otia mentes;
Viuida virtutum semina iacta necant.
Hæc malè sana sibi Venus otia pigra requirit;
Otiaque hæc fœdus pigra requirit Amor.
Otia si vigeant, languet Mauortia virtus:
Bellicus accipiet præmia nulla labor.
Frangere quîd cessas calamos studiosa Minerua?
Otia si regnent, Palladis alget amor.
Linquite vos vestras lites vrgere Clientes,
Otia si deses pigra Patronus amet.
Quîd frustra expectas Cerealia semina tellus?
Vomer iners pendet, rastra repôsta manent.
Nec Musas accire iuuet: properare recusant;
Dempserunt metricos otia pigra pedes.
Non me torpor iners, non lentus languor habebit;
Est qui sollicitet dura per orsa labor.

NIMIVM SANITATIS studium reprehenditur.

QVod studium nos vsque rapit! quæ cura lacessit,
Quærere sollicitâ mente salutis opus!
Hic teritur noster labor omnis: vota recurrunt
Cuncta; nec à curâ temporis hora vacat.
Solis ab exortu, decliues noctis ad horas,
Anxia pæonius pectora versat amor.
Mane resurgentes thalamo exploramus an idem
Sit constans, vitro consule, in ore color.
An vultum insuetus tenuatum pallor obumbret,
Quærimus: an faciem liuida signa notent.
Si quid fortè noui tulerit nox indiga somni;
Nec maneat solitus prisca per ausa vigor;
Ocyùs accitur properati cura medentis,
Pollice qui venæ iudice tentet iter.
An crebros celeret saliens arteria motûs;
An lentam carpat deses eundo viam.
Intentus Medici tangentis pendet ab ore:
Sollicitat trepidus tristia corda pauor.
Et tunc quisquis erit, rogat anxius, vnde genarum
Tam fœdus pallor, tristis & vnde lues,
Per partes memorat traductæ tempora noctis,
Quàm funesta quies, & sine lege sopor.
Turbatamque refert per sæua insomnia mentem,
Sæpiùs atque artus immaduisse refert.
Vnde piger languor torpentes occupet artus,
Genuaque sub tremulo poplite quassa labent.

Plu-

Plura locuturo Medicus noua verba repressit:
Excipit! Hunc nimiæ cura salutis habet.
Membra valent. trepidam torquent deliria mentem;
Terga fugax vertit: risit inane caput.
Infelix huic vita volat: producere vitam
Dum studet, in iugi funere vita meat:
Et vigil in morbos, morbos auertere tentans,
Noxia morborum semina cuncta fouet.
Anxia sollicitis voluuntur tempora curis,
Et ridenda venit lege tuenda salus.
Strata tenent, donec solem respexit adultum:
Nulla oriens niueo lumine nota dies.
Moxque domo si efferre pedem libet; excutit omnes
Aërias oculis sedulus antè plagas.
Obsideat si forte vapor, si nubila cœlum
Densa tegant; veniat si nimis vda dies.
Si Boreas spiret, spiret si noxius Auster;
Æolia in censum flamina cuncta vocat.
Instet an aërijs collectus nubibus imber:
Ferueat an nimius Solis ab igne calor.
Humida tempestas cœlo vetat ire patenti:
Murmura flabra mouent; postibus adde seras.
Si prodire polo tandem contingat aperto,
Phœbeumque iubar fortè ferire caput;
Quæsitæ ambages cunctæ, anfractusque viarum;
Solis vbi radios vmbra refusa tegat.
Error erit nullus; nulla vnquam semita fallet:
Monstrabitque notis charta notata vias.
Sole nefas tangi: pellent vmbracula Solem:
Hac sine non dabitur casside inire vias.
Vsque inimica gerunt tecum certamina, Phœbe?
Semper & infesto lumine, Phœbe, micas.

Cerne

Cerne nefas hominum! Phœbo Natura parente
Gaudet, & optati munera Solis amat.
Cuncta vigent Phœbi radijs; lætantur in ortu
Cuncta suo; radijs squallida cuncta nitent.
ÆthERIO nil Sole micat formosius axe;
Pulcrius haud oculi, quod tueantur, habent.
O gens, cimmerijs meritò damnanda tenebris,
Et quæ digna colas, nocte sepulta, chaos.
Tanta ne vos odia in Solem rapuere coruscum,
Lucifugæ noctis pignora adulta sinu?
Et vultus odere tuos mage, Cinthia, cæli
Princeps, sydereo noctis in orbe decus;
Seu secto niteas, pleno seu candida cornu,
Deuitant lumen pulcra Diana tuum.
Deplue (sic meriti) rores ex orbe malignos,
Et rotet emeritum tortilis ira caput.
Sed querulos iam mensa vocat, dapibusque paratis
Expectat. qualis gratus in ore sapor!
Quanta superstitio miseros rapit! omnia, morbo
Iudice, disquirit fercula docta salus.
Hic cibus est capiti nocuus: ciet ille pruinas
E cerebro: hic ventri flamina sæua parit:
Hepar hic inflammat; stomacho nocet ille niuali
Succo: nouit & hic stringere ventris onus.
Hic alius pariet nodosæ damna podagræ;
Alter & hic lateri noxia damna creat.
Hausta nocent puro spumantia pocula Baccho;
Sed frangit validum lympha refusa merum.
Sæpe bibas modicè, torret sitis arida fauces:
Pocula larga bibas: mergitur amne salus.
Egelidi recreant haustus; sed viscera torquent;
Torridus in calidis haustibus ardor inest.

O tua destituant arentia pocula lymphæ ;
Sit dapis & nullus gratus in ore sapor.
Musa, ciet somnus: noctes tua pensa requirunt:
Namque etiam medicâ quæritur arte sopor.
Et labor hic maior desudat: corpora somno
Fota vigent: dulcis corpora somnus alit.
Robur alit somnus: defectas robore vires
Integrat, & menti fert sua lucra sopor.
Nox ingrata venit, nullo lenita sopore:
Strata diu vigili tædia longa creant.
Dulcia per somnum capiunt obliuia mentem ;
Sopitus nescit spicula sæua dolor.
Nec fodiunt tristes mærentia pectora curæ :
Sollicitat nullus corda sopora labor.
Vna hæc infelix æger solamina quærit:
Hæc sua sunt miseris dona petita malis.
Quàm diuersa rapit captandæ cura quietis !
Et quàm diuersi cura soporis erit !
In morbos hic tela parans, ieiunia cœnis
Imperat, vt facilis sit sibi nocte sopor.
Ille alius contrà conuiuia lauta frequentat,
Largiùs vt mollis prægrauet ora quies.
Hic citò præripiet nocturni temporis horas ;
Occupet vt subitò fumidus alta vapor.
Post epulas alter multas durabit in horas ;
In lassa vt veniat membra sopora quies.
Ille breui capitur somno: longa otia quærit
Alter, & in stratis torpidus vsque iacet.
Huic nocet infestus, quæsitus luce diurnâ
Somnus, & alterius membra diurnus alet.
O genus infelix hominum! quæ cura salutis
In peiora malis damna tenenda rapit !

Cun-

HVMANÆ VITÆ Infelicitas deploratur.

Viuimus an morimur, fatalia pignora mortis?
Natalem quoties præripit vmbra diem!
Heu breuibus volucris, spatiisque fugacibus æui
Vita hominum, celeri sic pede tendis iter?
Carceribus non meta nimis disiecta recedit:
Stat propè cunarum funebris vrna locum!
Est vigil ante fores nigro libitina libello;
Quemlibet incensu tetra tabella notat.
Damnatos feretro lux excipit: vrna præire
Gaudet: supplicij pœna repôsta manet.
Vincla catenatos ducunt ad funera, lictor
Ad latus enumerat tempora certa necis!
Præripimus lacrymis lethalia fata profusis,
Funereus præcox occupat ora dolor.
Præscia venturi infelix sibi vita parentat
Vagitu, inferias, quas dabit vrna, præit.
Quid solers hominum fœtus natura laboras
Artifices operi ponere docta manus?
Luna suum nouies donec compleuerit orbem,
Materna inclusum viscera pignus alunt.
Interea teneros semen concrescit in artus,
Quos sua discretos ordine forma tenet.
Quæ vis mira potis, certis formare figuris,
Aptaque muneribus reddere membra suis!
Exiguo contracta loco tot munia corpus
Exercet! tam arcto in corpore vita viget!

Auri-

Auribus est sedes binis, mirâ arte cauatis;
Clausa suum replent lumina bina locum.
Et sua purpureis apparet forma labellis,
Et gemino ductu naris hiulca patet.
Forma genas tenet, & frontem, & caput; inditus ori
Constat honos: linguæ clauditur ore decus.
Tecta arcana subi. cor, & vitale flabellum
Pulmo erit, atque hepar, forma lienis erit.
Extra iterum redeas. pedibus stant crura tenellis;
Parua gerunt paruas membra tenella manus.
Sta vigil ad partum; nouies iam luna recreuit,
Mater, & ô facilem det tibi luna fatum.
Ah quoties matrem nascentis vita peremit,
Et quoties nati è funere viua parens!
Sæpe tamen fati peior fortuna secuta est:
Vno ambos rapuit funere mœsta dies.
O Lucina, faue, & partus concede secundos:
Quîd teneras segetes inuida Parca secas?
Sed iam læta parens eduxit pignus ad auras:
Incolumes ambos vita petita tenet.
Exultas quîd læta parens? ne crede procellis
Subductam subolem: multa pericla manent.
Parua per æquoreas iactanda est cymba procellas:
Expectant miseram naufraga saxa ratem.
Quot subiecta malis infantum nascitur ætas!
Mollior exigui flaminis aura nocet.
Lactis dona para, & veniant sincera papillis:
Candida lactis alunt munera, fœda necant.
Sæpe leuis pueros, & paruula pustula lædit;
Decidua è tenero vertice gutta grauat.
O Superi anginæ morbos auertite: regna
Sæpe his lethiferis sunt viduata malis.

Heu

Heu genus infelix! tecum mala semina morbi
Fers cuncta, atque intus dira venena foues.
Tu tibi bella moues: te contra militat humor
Noxius, in penito viscere tecta lues.
Quo seruata vigent vitali membra calore,
Intereunt, nimio si flagret igne calor.
Humor si gliscat gelidus, fert bella calori,
Obruiturque calor quo tua vita viget.
Pugna hæc assiduè geritur; latet abditus hostis,
Venas perque means prælia cæca gerit.
Curis ipse tuis infers certamina vitæ;
Hoc mage curarum pondere pressa salus.
Sollicitat non vna homines male sana cupîdo;
Quæque grauat mentem, membra cupîdo grauat.
Vreris efflictim nocuò si Cypridis æstu;
Cypridis hic membris noxius æstus erit.
Nulla magis Cypriâ consumit flamma medullas:
Vda tibi vitæ pabula torret amor.
Qui vitam mage purus alit, viresque ministrat
Sanguis; hic in Venerem turpiter actus abit.
Hinc iuuenum vires defectæ: hinc pallor in ore
Decolor: hinc tenuis lenta per ossa vigor.
Cernis vt in iuuenes grassetur Gallica pestis,
Totaque corrodat corpora fœda lues?
Vt Venus in vultu rodentia signa relinquat?
Vlceribus fœdis turpet vt ora situs?
Gallia, pestis atrox tribuit tibi nomina quondam;
Nunc Orbis cuncti pars quota labe vacat?
Ah non & subitas Gallorum surgat in iras,
Armet & ad cædes nostra iuuenta manus.
Ira leuis properè nunc mutua prælia poscit,
Et uenit ad faciles dextra vocata neces.

O quos cura premit regnorum, auertite cædes:
Talia sint vobis prælia pulsa procul.
Gallia quæ præbes noua nunc spectacula pugnæ!
Vidimus & molles arma ciere manus.
Fœmineus quoque dura ciet certamina sexus;
Fœmina bina cadens cæde momordit humum.
Igniuoma hoc iniit certamen fistula: pulsa
Glans duplex, geminum funus iniqua tulit.
Ferre faces Veneris non sat tibi fœmina? Martis
Ære cauo, explosis ictibus, igne petis?
At non ira furens tantùm tibi fata ministrat
Vita; sed è cupidâ fata petita gulâ.
Tot quæsita cocis conuiuia, larga lyæi
Pocula: morborum semina virus alunt.
Cernis vt in iuuenes etiam nodosa podagra
Regnet, & iniectâ compede membra liget?
Hæc dapibus tibi pasta viget; tibi pota lyæo
Gliscit, & ardenti iugiter igne flagrat.
Ora dape ingestâ fraudes; nec vina per ora
Vsque natent; podagram pota falerna fouent.
Hinc etiam tumidi crescunt intercutis vndæ
Amnes, quo nocuo mergitur amne salus.
Hinc stupor in mēbris: tremor hinc illapsus in artus;
Hinc lapidum in vestrum cuspis adacta latus.
Non ego nunc alios vitæ per cuncta labores
Exequar: est crebris vita petita malis.
Sors inopina parat casus: meditata ruinas
Cogitat: innectit fraus inimica dolos.
Diuitias timor insequitur: te tristis egestas
Excruciat; vitæ tædia longa parit.
Cerne tamen vitæ studium. quid lenta moraris
Mors? sed cùm veniet, iussa referre gradum.

AD

AD SOMNVM.

O Sate nocte, Sopor, gelidis comes additus vmbris,
Quem pluuio nutrit nubilus amne vapor.
Prompta tuis adsunt taciturna silentia iussis:
Exulat attonitâ territus aure fragor.
Imperijs deuota tuis sua munera sensus
Negligit, atque breui funere luce vacat;
Aduentu tremefacta tuo, caligine septa,
Lumina se condunt; tecta Sopore latent.
Per te prona quies reclinat membra cubili:
Languida cuncta tuo munere vita viget.
Fracta salus robur viresque laboribus ægræ
Suscipiunt: animat viuidus ossa calor.
Sollicitæ linquunt mœrentia pectora curæ:
Et cruciat nullus tristia corda dolor.
Stertit iners sopitus Amor; sua tela Cupîdo
Deserit, & languet fracta Sopore Venus.
Dulcia per tenebras capiunt obliuia mentes;
Perque oculos telis ianua nulla patet.
O si læta Sopor tantùm simulacra referret,
Solaque per noctem gaudia læta daret!
Euentu impleret felicia vota secundo;
Constaret pleno munere parta quies.
Mœsta sed interdum turbant insomnia mentem;
Sollicitat vanus pectora sæpe pauor.
Hæc, Sopor, auertas agitantia monstra quietem;
Otia dum præbes, prælia nulla geras,
Non hæc sæua decent tranquillum bella Soporem:
Prælia pacatus respuit ista torus:

Sic te pinguis alat vapor, atque elata calore
Nubes humentes plena ministret opes.
Inde vapor molles cerebro stipatus in imbres
Depluat, & sensus occupet alta quies.
Sic te pota iuuent medicata papauera succis,
Et quacunque cupis pocula grata Sopor.
O fortunatos tribuit quibus vna soporas
Alta quies noctes, larua nec vlla nocet!
Non hac grata mihi præbet solatia Somnus:
Nec bonus irriguis imbribus ille fauet.
Irrequieta toro per noctem membra reuoluo,
Qualibet in censu noctis & hora venit.
Vna mihi Pallas noctu fauet: vnus Apollo
Digerit in numerum nocte silente pedes.
Æstuo? Parnassus gelidas mihi sufficit vndas:
Æger alo morbos? Pæonis arte iuuor.
Sed mihi laurus opem, & sua munera ferre recusat:
Fulmineo nunquam texit ab igne caput.
Somne, tibi quas fundo meas ne sperne querelas:
Si mihi lux grauis est, ne sit & vmbra grauis.

IN GVLAM.

VErba neges mihi Musa, Gula dum tento labore?
Arida Castalius deserat ora latex?
Anne Gulam laudem, fauces vox irrita pulset?
Muta queat nullos edere lingua sonos?
Aduersus pugnare Gulam meus ardet Apollo:
Arma Gulam contra stringere carmen amat.
O molles Elegi teneros dediscite versus:
Respuit iratus carmina blanda furor.

Arma

Arma magis vobis vltor permittat Iambus:
Strictus amet iugulo vulnera ferre chalybs.
Huc adsis orbis Domina, ingeniosa Charybdis:
Semper hians gurges: fœda vorago dapum.
Regna Gulæ quæris, sæuæque tyrannidis ausa?
Imperij fines, discere iura cupis?
Victrix cuncta tenet: pendunt elementa tributum
Cuncta illi; ingluuiem iussa fouere suam.
Vasta vides maris æquora? nutibus æquora parent;
Indulget cupidæ squamea turba Gulæ.
Innumeris subiecta dolis stat turba natantum:
Innumerâ æquoreum fallitur arte genus.
Et capitur laqueis, & arundine; fallitur hamo;
Vndiuagum fallunt condita lina gregem.
Irruit in miseros ferienti cuspide pisces
Fuscina, & intentant tela trisulca necem.
Rete nocet varium; tendunt sua vimina nassæ;
Grandior ad captûm iacta sagena latet.
Et simul intextâ falluntur arundine pisces:
Nocturnusque etiam venit ab igne dolus.
Infelix Xiphia in laqueos data præda dolosos;
Thynne tuus venter prouocat ora Gulæ.
Hæc tua piscator sunt munera; cura Dianæ
Nunc venatricis seruiat, atque labor.
Rumpe moras Venator: amat tua dona palatum;
Et seruire Gulæ te iubet omne nemus.
Eripe nocturno præpes tua membra sopori;
Eoum Veneris sidus in axe micat.
Ad sua coge citos stringentia lora molossos;
Latret odora sequax cætera turba canum.
Sedulus expedias lato venabula ferro;
Quæ iacias pilâ; & dura veruta manu.

Et famulos onerent ingentia retia, casses;
Ingentes valeant qui retinere feras.
Nam Gula fastidit venalia fercula, & vrbis
Ægra dapes, syluæ quærit habere feras.
En nemorum portantur opes, pinguique ferinâ
Vescitur: en variat fercula plura Gula.
Gaudet apro; pauidi lepores pulmenta ministrant,
Et capræ celeris manditur esca feræ.
Aërias Auceps volucres ad prandia defer:
Iam pennata cohors poscitur: arma para,
Serica nunc tendas vmbrosis retia ramis,
Et laqueos, tacti qui religare queant.
Plurima sit ficus pedicis instructa dolosis,
Tectaque viscoso glutine fallat aqua.
In volucres etiam sese Vulcanus obarmet,
Æris & igniuomâ callidus arte petat.
Quæritur ad mensas nitido ficedula lumbo,
Et cùm tempus erit turde petite veni.
Torquatasque feras, & pastas glande palumbes,
Atque apodes, meropes, ruris & omnis aues.
Sæpe Gulæ perdix detur; non sæpe coturnix:
Illa anatum verso respuet ore dapes.
Gratior ad mensas veniet Iunonius ales:
Hæc cupidam irritant fercula grata Gulam.
Phasides in censu constent, Lybicæque volucres;
Quas Numidum, & tellus Afra tulistis aues.
Nutritosque domi teneros cupit illa columbos;
In capos promptas expedit illa manus.
Surrentina feras vitulæ mox fercula pinguis,
Semper erunt vitulæ fercula grata Gulæ.
Vtque famem exacuat, musto, mistoque sinapi
Embamma accedat: musta gulosus amat.

Stet

Stet mensis durata diu lucanica, porci
Rubraque Samnitum perna salita manu.
Boletos habeat, sed quos tu Claudius olim:
Ex lumbo veniat grata suilla Gulæ.
O pudeat censere dapes alias, quibus vsque
Hic inhiat gurges, quasque vorago cupit!
Maiores nunc cerne cocos, nunc cerne minores:
Sudat in accensis plurima turba focis.
Quæque adstet mensis famulorum cerne coronam:
Stat conuiua frequens: castra locata putes.
Vsque recursantes longo ordine cerne ministros:
Lassa manus renuit ferre referre dapes.
Ad cyathos mea Musa. heu plurima vina fatigant
Pellere quæsitam fœda per ora sitim.
Massica quid memorem, memorē quid vina falerna?
Quæ Campanus ager, quæque Veseuus alit?
Mollia quæruntur, quæruntur & aspera morsu:
Quæque aurum referant, quæque rubore rosas.
Iamque niues fumare vides, crebroque rotatu
Feruere: potantur vina coacta gelu.
Surge Gula: absumpsit longum iam prandia tempus:
Mollia te stupidam strata supina vocant.
Stent famuli circum, nutantia membra regentes:
Stare pedes nequeunt, stare vel amne caput.
O genus infelix hominum! te fœda voluptas
Ventris, & ingluuies obruet vsque malis?
Vnde tibi assidui quæsiti ad funera morbi?
Vnde tibi quouis tempore pressa salus?
Hinc tibi langenti stomacho defecta potestas:
Hinc te vertigo fumida sæpe rotat.
Hinc capitis nunquam siccato fonte liquores;
Hinc mordens cupidam gutta salita Gulam.

Inde tibi rabidi torquentes ilia morſus;
Et lapidum cuſpis nata ferire latus.
Sed caue Muſa reū mea me quoque criminis huius
Damnes: me laterum preſſit iniqua lues.
Non, inquit, tibi damna Gula hæc peperit; tua Pallas
Tetrica ſed tribuit: iuuit Apollo latus.
O quàm grata Gulam podagra & læto ore ſalutat!
Namque ſuo cenſu viuit, & vſque viget.
Tormina & Aeolij complentes viſcera flatus,
Morborumque Gulæ crimine nata ſeges.
Anne tibi tanti eſt ventrem ſaturâſſe voracem,
Vt tibi præpropero funere fata crees?
Vſque dapes tumules? epularum pande ſepulcrum:
Hæ tibi mox epulæ triſtia buſta dabunt.
Non ego dura velim ieiunia corpora frangant;
Vel tenuent parcæ languida membra dapes.
Luxuriem compeſce Gulæ: moderare voracem
Ingluuiem: crebris hauſtibus adde modum.
Sic tibi vita diu, ſic longum durat in æuum,
Et iuuenum ſimilis cana ſenecta venit.

DE PODAGRA.

N*Vnc Podagræ dicenda mihi tormēta, Camœna,*
Currere da facili carmina noſtra pede.
Anne pedes etiam metricos infeſta retardet,
Et mihi Caſtalium pigra moretur iter?
Nam meminiſſe decet, nō nunc mihi crure mouēdos;
Nectendos numeris ſed mihi mente pedes.
Nec ſubitò ſuprema petat: voluatur ad ima,
Et meritos ſubeat preſſa Podagra pedes.

Illius

Illius ardescet meditatum carmen in iras:
Perferat hæc Podagræ debita probra malis.
Fœda lues hominum, peregrini semine morbi
Pestis atrox, vitæ tortor, inique furor.
Vnde tibi, furiale malum, natalis origo?
Nam tua nesciuit nomina Roma vetus.
Nec Latias inter censeris barbara voces:
Perfida, stat Graio nomine Græca fides.
Nec tibi sat vilis nomen sumpsisse Podagræ;
Vrere nata manus, dicta Chiragra venis.
Cùm te colla tenent; humeros cùm prægrauis vrges;
Qua, cùm pectus habes, voce notanda venis?
Morborum princeps: atrox regina dolorum:
Tetra palus: stygio missus ab igne furor.
Insidiosa pedes inuisâ compede vincis,
Inuisâ vincis subdola reste manus.
Vile genus morbi: plebeiâ è stirpe tyrannis
Antè pedes humilis, mox petis alta tumens.
Tormenti perpende modum: se noxius humor,
Mordax, acris, agens, membra per ima furit.
Acriùs irrumpens nexus, quibus ossa ligantur,
Corripit: hinc motûs munera torpor habet.
Hinc tibi membra tument flagranti accensa rubore;
Hinc te vulnificæ cuspidis ira ferit.
O quæ damna creat morbosa infusa per artus
Gutta! quot ex oculis elicit ardor aquas!
O qui mucro tuis teneris compagibus hæret!
Et quæ fixa manent morsibus ora canum!
Sic dolor immeritæ lanienæ sæuiùs instas?
Sic membra arcano vulnere dire secas?
Membra sepulcrali, veluti porrecta feretro,
Pigra iacent, molli in stramine, pondus iners,

Humoris quæ dira lues! ſeſe abdit in imos
Tetra ſinus: ſtabili milite caſtra locat.
Deſidiâ pugnat; pigro torpore triumphat:
Vincit iners: tectâ compede membra ligat.
Et cùm ſæua furit, repetitis ſæpe triumphis,
Mira tuis oculis dira videnda dabit.
Contrahit humanam noua per tormenta figuram,
Et breue procerum reddere corpus auet.
Iam te nigra ſuo ſignat libitina libello,
Æger: mortis amant ſtrata referre torum.
Cerne ſui tandem fœdi monumenta furoris,
Quaſque lues turpes linquat iniqua notas!
Non ſatis eſt nitidum florem carpſiſſe iuuentæ;
Robora nec vitæ ſtrata dediſſe toro.
Non vrgere nouis ærumnis; abdita membra
Lædere, nec neruis bella ciere ſatis.
Non vinxiße pedes; clauis fixiſſe malignis
Greſſus, nec putri perdere crura ſitu:
Ora ſiti torrere; inſomnes tradere noctes
Cogere; lugubres edere voce ſonos.
Ah caue tu tangas; clamoribus aſtra laceſſit:
Membra moues cautè; ſpicula ſæua nouas.
Sint quæ lina tegunt altè ſuſpenſa: iacentem
Ipſa leui tactu mollia lina grauant.
Infandum ſed cerne nefas! iam membra figuram,
Et priſcas ſenſim dedidicere notas.
Stant digiti intorti nodoſis flexibus: artus
Turpè globum referunt: dextra recurua latet.
Brachia torta malo turgentia fulcra requirunt:
Ingerat alterius dextera in ora dapes.
Arte laboratos torni te cernere credas:
Turpè pedes ſuras arida pellis obit.

Hanc

Hanc pestem stygij partem si dixeris ignis;
Vera canes: medicas respuit illa manus.
Heu si Gutta gelu viget hæc concreta niuali;
Nulla queat rigidum hoc soluere flamma gelu.
Torridus ignis erit Gutta hæc? non frigidus algor
Vllus erit, poterit qui domuisse faces.
Stulta hominũ suboles, quîd sidera questibus imples?
Æthera quîd querulis vocibus ora replent?
Non hæc damna subit Podagræ gens rustica, parca
Victu contenta, & quam terit vsque labor.
Est regale decus; sceptri hæc est nobilis hæres:
Gaudet & in clarâ stirpe referre notas.
Non hic morbus amat quos tristis vexat egestas:
Sed quos luxus alit; prandia lauta fouent.
Quîd dapibus crebris indulges? dona Lyæi
Larga bibis? Podagra his pota, superba tumet.
O tumulanda Venus; flammis vrende Cupîdo:
Crimine nam vestro fota Podagra viget:
Nempe calor languet nimio de Cypridis igne:
Deficiunt vires; gliscit iniqua lues.
Fœmineo parcè generi fert bella Podagra:
Respuit imbelles ad fera bella manus.
Robur vbi tamen inueniet par, prælia tentat;
Atque puellarum sternere membra cupit.
Inconsulta lues, genus hoc tu corripe morbo:
Vsque vagos durâ compede necte pedes.
Nata fouere lares, semperque habitare penates
Fœmina, per cunctas currere visa vias.
Parcere si libeat pedibus; vaga lumina plectas:
His clausis, Veneri ianua clausa foret.
Nunc mea quæ tandẽ medicamina Musa procuret?
Quam tibi promittat Phœbus amicus opem?

Si potes; incedas: epulas auerte nocentes:
Vina fuge, & tandem sidera voce feri.

IN ALCHIMISTAS.

ANticyram mea Musa petas, herbæque salubris
Hellebori redeas fronde referta sinum.
Insani artifices auri, Chimicique iuuandi
Sunt etenim, infelix & sine mente genus.
Nocte dieque student succensis ignibus aurum
Gignere, dum patrias excoquit ignis opes.
Argentique fugam sudant dum sistere viui;
Diffluit in vano munere census inops.
Et coquitur dum massa focis, decocta caminis,
Aurea spes tandem fumida lucra dabit.
Vos miseros! vacuos completis flamine folles,
Vester & in ventos cogitur ire labor.
Corpora sordescunt tetro fœdissima fumo;
Vnus at ex fumo flebilis imber erit.
Torrida membra focis pluuio sudore madescunt;
Irrita sed votis aurea messis erit.
Et votis vitro apta cadunt sinuata recuruo
Vasa: etenim fragili vota repôsta vitro.
Mercurij tentatis iter retinere fugacis?
Pennigeram vanum est sistere posse fugam.
Vestra reclusa diu pallescunt ora colore:
Vnus hic ex auro diuite pallor erit.
Quid fallax tentare iuuat molimen ab arte
Auriferâ? nunquam constitit artis opus.
Huic operi multos videas studuisse creandi
Aurum; diuitias exposuisse focis.

Ex-

Expectata diu successus vota fefellit:
Irrita cura sagax, & sine fruge labor.
Crederet an terræ sua semina stultus arator,
Si foret ex iacto semine nulla seges?
Quis sereret teneras maturo tempore vites,
Si foret vua illi nulla legenda manu?
Spes veniat si nulla lucri, negat ire per æquor
Nauita, & insanas ferre per alta minas.
Venatorque feræ spe syluam indagine cingit,
Perque feros nemorum tesqua fatigat apros.
Nec gelidas hyemes piscator ferret & æstus,
Irrita si veniant retia iacta salo.
Militis exacuit vires spes vna triumphi:
Spes vna effusi causa cruoris erit.
Docta nec ingenij sua munera Pallas obiret,
Irritus ingenij si foret vsque labor.
Hinc tua quòd sterilis frondescit laurus, Apollo,
Destituunt metrici carmina lenta pedes.
Desperetque cliens tutantis iura patroni,
Ante fores vacuas si ferat ille manus.
Et quæcunque vigent, languescent protinus artes,
Si nullus lucri fructus ab arte venit.
Ire procul pictor sua protinus arma iubebit;
Marmora sculptori iußa valere procul.
Ipse etiam sacris cultus tenuabitur aris,
Si sacer obtineat præmia nulla labor.
Quid tu solus eris fundi decoctor iniquus?
Quid quærens aurum gignere, perdis opes?
In Sophiæ lapidem quærendum cura fatigat,
Intereaque nepos dilapidabis opes.
Nudus, inops, Sophiæ gentis de more iacebis:
Stramen erit nullum, venter inanis erit.

Sed

Sed quandoque ferunt genitum fornacibus aurum,
Et lentâ felix ignis ab arte satum.
Truncus iners hominum, trunci de more cremandus,
Has nugas stupidâ credulus aure bibis?
Hæc tibi fallaces Chimici mendacia vendunt:
In census inhiat subdola turba tuos.
Ipse puer memini deceptum hoc crimine amicum:
Hoc illum potuit fallere nempe dolo.
Deesse sibi centum conflandum finxit in aurum
Aureos: euentus firmet ab arte fidem.
Se dedit in laqueum ignauum pecus: ille liquatos
Aureos tamquam aurum rettulit artis opus.
Terque quaterque doli felix hac arte petitum
Lusit, & eluso stipite terga dedit.
Ille vafer Chimicâ meliorem calluit artem;
Aurum dum soluit, congerit vncus opes.
Pergis adhuc mecum contendere conditor auri
Vaniloque, atque artis ritè tueris opus?
Naturæ suboles aurum, Solisque propago;
Gigni etiam cur non igne iuuante queat?
Naturæ fœtus alios molita labore
Ars struit, & cœptis vota secunda fauent.
Admoueas prudens causam tu ritè parentem,
Quam fœtus poscunt; pignora causa dabit.
Nouimus igenitos virosos arte colubros,
Inque putres ranas arte abiisse solum.
In calcem lapides resolutos arte videmus:
Saxa etiam euadunt, igne liquante, latex.
Vt sileam reliquos felices arte labores,
Quorum ope Naturæ cuditur instar opus.
Ars eadem molitur opes mihi diuitis auri,
Et mihi flamma parens æmula Solis erit.

Ore

Ore ſonas qui grande ſophos; qui mira per artes
Fers gigni, & ſolers cuncta repôſta tenes.
Eloquere, hoc miro conflato ex ignibus auro
Auxerit egregiæ ſtirpis an vllus opes?
Ante locupletes, poſt vanam vidimus artem
Cenſu inopes, arctos ducere turpè dies.
An quæcunque parens nullo Natura labore
Educat, hæc vecors arte patranda putes?
Ergo etiam ſtudeas effingere corporis artus,
Atque animum membris indere certet opus.
Et labor inſudet conchis, gemmiſque creandis:
Sæpè polo has etiam fulmina miſſa creant.
Quîd ceſsas adamanta tuo genuiſſe labore?
Hæc Naturâ etiam gemma parente venit.
Phœbe tuas molire faces: vos fulminis ignes
Præcipites ſtolidum perdite mente genus.
Cerne auſum inſanum! Sol tot per ſæcula fuluum
Vix aurum lentâ gignere luce poteſt.
Apta ſinum præbet tellus; fœcunda miniſtrat
Materiem ſuboli, pignus & apta fouet.
His nec veratro poteris mea Muſa mederi;
Vrere præcipiti ſola medela face eſt.
Hei mihi! quîd ſolers auri mendacia plecto?
Hæc falſa in cunctos repſit iniqua lues.
Vera fides nulla eſt: falſum ſimulatur vt aurum:
Fœdera amicitiæ cortice tecta latent.
Promiſſis ſpes nulla ſubeſt largo ore profuſis;
Euentus vacuo munere inanis erit.
Hoſtilis liuor tenero veſtitur amore:
Candida ſimplicitas condit iniqua dolos.
Adiutum te verba ſonant? ne crede iuuandum:
Sponſa tibi vtilitas ſubdola damna fouet.

Obla-

Oblatus tibi ſponte fauor; molitur iniqua;
Prodiga laudandi copia, probra gerit.
Deſtinat ad decorum celebris faſtigia virtus.
Fictus amor? ſummum dedecus ille cupit.
Te euectum ad culmen meriti gratatur honoris?
Cura acris mordet; prona ruina placet.
Talia qui ſimulant, eadem fortuna ſequetur,
Auri fictorum quæ ſolet anſa ſequi.

DE INSOMNIIS.

Nocte meam turbant quæ dira inſomnia mentē!
Quæ mihi per tenebras irrequieta quies!
Conſertò occurrunt mærentes agmine curæ:
Plurima perquam animum lugubris vmbra meat.
Noxia ſollicitant mæſtis ſimulacra figuris;
Suſtinet infelix prælia ſæua ſopor.
Paſſa mihi vigili, ſopito tetra recurrunt;
Alternantque ſuas lumen & vmbra vices.
Montanoque iugo præceps nunc voluor ab alto,
Et lapſu trepidum ficta ruina premit.
Alitis in morem modò pennis æthera trano:
Icario ſimilis me modò caſus habet.
Nunc medio obluctor pelago; ſuper eminet vnda;
Irrita perque vndas brachia lentus ago.
Intentus iugulo, cædi nunc imminet enſis,
Et ruit in miſerum ſica cruenta latus.
Sæpe ſoporatum circunſtat turba latronum:
Tento fugam pedibus; pes mihi torpet iners.
In me ſæua ruens incendia flamma minatur,
Et ſimul egelidus concutit oſſa pauor.

Sæpe

Sæpe vepres inter reuolutus membra reclino:
Ista mihi mollis lectule dura paras!
Interdum somnus virosos obijcit angues:
Spectra mihi vrsorum; spectra leonis alit.
Felices quibus alta quies fauet: vmbra soporem
Conciliat: præbet tempora longa sopor:
Et bene sopitis iucunda occurrit imago,
Nec trepidus spectris territat ora pauor:
Sed flores inter somnus versatur amœnos;
Fontis aquas; ruris germina imago gerit:
Obtentus delectat honos: stat diuitis auri
Splendor: purpurei muricis vmbra viret:
Blanditur regale decus, decorantque curules;
Sceptra vocant; celsus tollit ad astra thronus.
Ast hæc somnus habet: detersus pollice somnus
Auferet, & maior sidit ad ima dolor.
Sit dolor; at saltem noctes habet iste serenas,
Et laruatus honos gaudia læta gerit.
Me vigilem tormenta tenent reuoluta diurna,
Mæstaque nocturno tempore spectra premunt.
Non ego vera putem simulacra obiecta per vmbras,
Reddere nec certam somnia visa fidem.
Hæc fuerit mens vana hominum, & deliria gentis
Priscæ: olim falsos falsa secuta dolos.
Seruandis bis ritè notis delusa vetustas,
Vsque ratam voluit somnia ferre fidem.
Illa licèt quæ sponte suâ demittit Olympus
Somnia, venturi præscia signa ferant.
Cætera vana putes insomnia: nulla futuri
Certa fides: vanis ludit imago notis.
Hæc rerum simulacra vapor dabit: errat imago
Hoc duce: naturam reddet & ille suam.

Hinc

Hinc quos atra replet bilis, per funera luctus
Abripiet: tenebris obsita cuncta dabit.
In quos flaua suo bilis largo amne redundat;
Mutua sæua parit iurgia, bella, neces.
Ast quibus immodici vis ignea plena cruoris,
Spectra rubent: referunt ignea spectra faces.
Quos vndosa replet largo pituita liquore,
Æquoreus, pluuius, fluminis imber habet.
Et quorum nimius sua corpora prægrauat humor,
Mole super positâ corpora visa premi.
Quos tenuis, per membra means, leuis halitus vrget,
Pernix ala vehit, penna ministrat iter.
Et parit effrænis sua somnia sæpe cupido:
Quæ reuoluta die, noctis & vmbra refert.
Aurea spectra sopor cupido componit auaro:
Quæsitas censu diuite monstrat opes.
Obsessas miles sopitus pugnat in vrbes,
Pugnacesque mouet ductor ad arma manus.
Mercator lucris inhians, sibi mente reuectas
Fingit opes, plenam cærula ferre ratem.
Mancipium Veneris, malè sanis ignibus vstum,
Per somnos fœdum mente reuoluit opus.
Causidico lites dant somnia: mente tribunal
Versatur: causæ iurgia somnus alit.
Et sua rura colit somno deuinctus arator,
Et muto tardos increpat ore boues.
Venator vacuâ syluas indagine cingit,
Affixusque toro figere tentat apros.
Irritus in stratis auceps sua retia tendit,
Et vanâ in volucres instruit arte dolos.
Et mihi sopito dant pangere carmina Musæ:
Nec vanos metricâ compede necto pedes.

O mihi

O mihi per noctes hæc somnia grata recursent!
O mihi spectra ferat iugiter ista sopor!
Non alia inuiso mihi gaudia læta requiram:
Hæc mihi, vicino funere, lecta quies,
Annue Phœbe meis votis, noctesque soporas
Concede: his constet somnus imaginibus.
Inter Castalias cupidum me pone sorores:
Et citharas habeant somnia, plectra, lyras.
Parnassi placidis mihi fons obmurmuret vndis:
Exhibeat virides laurus amica comas.
Crebra Poëtarum circunstet læta corona,
Meque rudem nitidi carminis arte colat.
Et doceat versus limâ mordente polire:
Erudiat blandis reddere verba sonis.
O mihi culta diu Pallas, malè sana recedas;
Tetrica funestes nec mea visa memor.
Illam tu tenebris inuisis Phœbe reconde:
Hæc mala sopito monstra repelle procul.
Ne mihi restituant antiquos fœda labores:
Ne reddant vacuâ pensa voluta manu.
Ne lateri tribuant salebrosi semina morbi;
Neue velint cultum sterile fruge solum.
Triste supercilium remoue, frontisque seueræ
Supplicium horrendum; sit laniena procul:
In stygios detrude lacus: concede merenti
Sisyphium saxum: pondus iniqua ferat.
Et quæ me laterum saxosâ mole peremit,
Vsque ruinosum perfida portet onus.
Et vada Cocyti subeat, nigramque paludem,
Quæ mihi arenosos iussit habere lares.

IN NIMIVM CAPILLORVM cultum.

Carminibus ne diue meis infensus Apollo
Desis, quòd crines carpere carmen amet:
Non ego nunc ausim stultus damnare capillos;
Nec cæsam cupiam verticis esse comam.
Nunc solers capiti tribuit natura decorem:
Crinitus meritò tempora cingit honos.
Silua comas ambit; frondentia tesqua virentes
Culta comas cupiunt; arbor adulta comas.
Montis apex gestit frondosum ferre cacumen:
Pulcrius hoc viridi tegmine culmen erit.
O quàm tristis hyems, quæ pellit ab arbore frondes,
Quæ fruticum spoliat crine virente caput!
Ingratusque venit folijs, qui flamine pulsis,
Decutit Autumnus crinis & ipse decus.
Cui non crinis honos? decorantur crine leones,
Crinitisque placent colla refusa iubis.
Et sonipes latè diffuso crine superbit;
Turpior execto crine videtur equus.
Et gaudent rutilis fulgentia crinibus astra:
Crinitumque cupit ferre Cometa iubar.
Et caput intonsum Gryneus gestat Apollo:
Pectere amat longas & mea Musa comas.
Sedulus inquiras & tempora prisca reuoluas:
Excute diuersum gentis in Orbe genus.
Inuenies homines longos aluiße capillos:
Si numeres; longus quàm tibi census erit!

Sacræ

Sacra litaturus splendebat crine sacerdos,
Et sacris aderat mysta fluente comâ.
Ipse etiam dederat qui tristia iura Lycurgus,
Diffusas iussit tempora ferre comas.
Prisca comas aluit fortis Romana iuuentus;
Nec fortes animos dedecuere comæ.
Scipiadas longo vidit Carthago capillo;
Nec tamen est virtus crine retusa manus.
Tuque Philistinas toties qui cæde phalanges,
Agmina qui toties victor ad arma cies;
An non Nazarios diffuso crine capillos
Fronte geris Samson, crinibus arma cies?
Non mihi cura tuum, Absalom, memorare capillū;
Hæc coma nam peperit flaua retorta necem.
Quòd si prisca velim vatum commenta referre,
Et vana in censum numina culta vocem:
Et multos gessisse Deos hos frontis honores,
Et decora hæc referam fronte tulisse Deas.
Iuppiter aurato capitis sub crine refulsit,
Diceris & rutilam Bacche tulisse comam.
Nam te prætereã crinitum semper Apollo:
Hoc tibi præcipuum luce nitente decus.
Nec te dedecuit tractantem bella Gradiue
Vsque sub ærata casside ferre comam.
Et decus hoc Iuno, & gessit Venus alma capillos;
Castalides nitidam fronte tulere comam.
Hæc tamen innocuos gesserunt tempora crines;
Simplex naturæ in vertice munus erat.
Crinis erat nullo fuci medicamine cultus;
Artificis nullâ comptus ab arte manus.
Corrupere comas hæc nunc mala sæcla venustas;
Fœdauit nimiâ putidus arte labor.

Desudant reuoluta foco calamistra tepenti ;
Fingere discreto tramite sudat acus.
Et placet in varios captiuos cogere nodos ;
Spirarum varios addere turpe modos.
Addere pendentes sinuatis flexibus orbes ;
Tota per vndiuagas spargere terga comas.
Heu cincinnorum desudat mole grauatus
Vertex! sub crebris crinibus ora latent !
Quis religare labor, capiunt dum membra soporem?
Plectitur infestis crinibus ipse sopor.
Luce resurgentes vrget noua cura colendi ,
Et lassat famulas sedula cura manus.
Extrahitur longas repetitus cultus in horas :
Pectentes medio Sol videt axe comam.
Neue puellaris credas hæc munera pensi ,
Solaque fœmineum tangere damna genus ;
Est labor in maribus maior , studiumque colendi
Peius: alit cultas fœda iuuenta comas .
Cerne nefas ! etiam pectendi cura capilli
Corripuit stolidos & sine mente senes.
Quas tribuit veneranda comas odere senectus,
Et pudet in cano crine tulisse caput.
Inficiunt albos medicatâ fæce capillos :
Nix abit, & turpi pectus ab igne flagrat.
Nec pudet è Cyprio conspergere puluere crines,
Erutus è bustis quos cinis vsque tegat :
Quinetiam adscito venali crine decori,
Tempora mentito tegmine culta gerunt .
Non sat erat falsâ mendacia promere linguâ ;
In falso cupiunt vertice ferre dolos .
Crescentem hanc nimium segetem depasce iuuentus
Hæc tam culta nimis silua resecta cadat.

En

En fruticum ferro tonderi germina gaudent :
Luxuriem ferro ponere silua cupit.
Quod studium, demens, crini consumis alendo?
In solidum discas vertere mentis opus .
Quid iuuat aurato ditescere tempora crine,
Si mente in vacuâ sit tibi census inops ?

OPTIMVM BONVM pessimumque malum memoria .

TE rapit humanæ tantum præstantia formæ?
Corporis hoc fluxum tollit ad astra decus ?
Externum miraris opus ; te detinet oris
Pulcra oculis species, fluxilis vmbra placet.
Commendas vultus ; extollis frontis honores :
Lumina visa tibi sidera rapta polo .
Auroram sparsisse suos mirâ arte rubores ;
Lilia candorem pura dedisse genis .
Hauserunt roseos Pæstanos labra colores:
Purpura natiuo murice victa rubet .
In niueos dentes gemma immigrauit Erythræ,
Inuidus huic denti quique lapillus erit.
Nixa humeris ceruix consurgit lactea gyro ,
Nullaque formoso membra nitore vacant .
Hæc laudanda viro ? nitidæ flos nempe iuuentæ
Tabidus occiduæ lucis in ore iubar .
Deciduum vultus decus, & ver fluxile formæ :
Vmbra fugax ,candor spumeus, aura leuis.

Hæc quàm pulcra magis species spectatur in Orbe!
Quàm mage formosum surgit in Orbe decus!
Læta poli facies; vultus ridentis Olympi;
Sidera per noctem; Solis in axe iubar.
Rubra suo medius rosa fulgens purpurat ostro:
Cana magis folijs alba ligustra nitent.
Est nitor in pratis maior: stat florea pubes
Cultior: est veris forma venusta magis.
Abdita rimare: arcanos inquire recessus:
Quod latet egregium discute Mentis opus.
Sunt geminæ in nobis vires, duplexque potestas,
Quæ memores mirâ lege recondit opes.
Corporeum tenet vna locum, sensuque potitur
Interno; rerum quæ simulacra gerit.
Huic cerebrum sedes, quà retro à fronte recedit
Occiput, & duro cingitur osse caput.
Altera pars melior Mentis, Mentique volucri
Dos data, corporeâ fæce soluta viget.
Hæc suâ vis etiam rerum simulacra recondit,
Nobilior puro pura repôsta sinu.
Per sensus hæc hausta meant: commercia sensus
Præbent: per sensus ianua lata patet.
Sensus opem quicunque dabit; deuecta per aures
Summa tenent; pandunt lumina grata vias.
Ora per est aditus simulacris: ducta palati
Munere libantis, regnat imago memor.
Per nares memores menti traduntur odores:
Quæque parit tangens, dat simulacra manus.
Nulla tamen memorem tangunt præsentia Mentem:
Et Mentem memorem nulla futura tenent.
Sola sed illa memor dilapsum quærere tempus
Gaudet, & ista sui cura laboris erit.

Sed

Sed quàm maior erit nostri nunc cura laboris;
Voluere tam mirum carmine Mentis opus?
Musa memor faueas nostris nunc gratior ausis,
Ne Mens immemorem me probet esse memor.
Diuina Mens mentis opus: Mens munus Olympi:
Ætherius census: diues in Orbe satus.
Castalidum mater: Pindi venerabile Numen:
Palladiæ, largo munere, Gentis honos.
Te, Regina, thronus decet: alti verticis arcem
Diua tenes animi: sceptra superba geris.
Adstat iussa tuo nutu reuoluta vetustas,
Et parent iussis sæcula prisca tuis.
In censum veniet tumulati temporis ætas;
Arbitra disquiris tempora: sæcla tenes,
Vana tuas vires obliuia vincere tentant:
Eruit è latebris omnia cura memor.
Ipse suas cunas genitus teget irritus Orbis:
Natales memorat mira per orsa suos.
Et quæcunque refert, longos transmissa per annos;
Ductus ab extremo tempore priscus auus.
Fida foues, & fida refers. tibi seruit imago
Cunctarum rerum, diuite prompta penu.
Carmine quo potero vastos aperire recessus,
Et Mentis memoris pandere voce sinus?
Quæ noua congeries semper rerum aduenit, vlla
Nec grauat; aut veteri pulsa recedit iners.
Agmine conferto irrumpunt simulacra; nec ordo
Turbatur rerum: cœtibus aucta manent.
Non explere sinum poterunt simulacra: lacunas
Vsque putes, aditus vsque patêre nouos.
Tantus erit non census aquis, non census arenis,
Quantus imaginibus census & agmen erit.

Nomine quæque suo signata occurret imago:
Iussaque stat Mentis protinus ante fores.
Nulla aliam temeraria promptiùs ausa præire:
Ordine quæque suo ritè vocata venit.
Mens tribuit linguæ, censu suggesta fideli,
Verba locuturæ; ditat & ora sonis.
Atque catenatis velut orbibus, edita linguæ
Verba, pari nexu post simulacra trahunt.
O te vim memorem! quæ Palladis indiga cultus
Gens non imploret? non tua dona colat?
Sed tua præ cunctis implorat munera Rhetor,
Estque tuo vacuus munere Rhetor iners.
Prima tenes tu culta locum, pars maxima dotis
Facundæ: linguæ diuitis vnus honos.
Præsidio defecta tuo mox rostra silebunt:
Orator frustra quæret ab arte decus.
Quid declamator meditetur prœlia linguæ?
Effusa in ventos irrita bella cadent.
Et sua destituent tutelæ iura patronum:
Te sine vana sui causa clientis erit.
Ni præcepta memor bellandi Mente recondat
Dux; quæ pugnanti palma repôsta manet?
Rectoremque ratis capiant si obliuia plnus
Tractandæ; quæ non naufraga puppis erit?
Miles iners, cantator iners, non aptus arator,
Ni sibi quisque suum Mente reuoluat opus.
Desinet in rixas natum clamare lyceum,
Ni Mentis memoris cura ministret opem.
Vosque meæ Musæ, Musarum præses Apollo;
Vim Mentis memorem Numen habere ferunt:
Hoc si deficiat; nec carmina Mente recurrent;
In capite haud vllus pes mihi rectus erit.

Phœbe lyram tangas : citharas pulsare canoras
Vsque velis ; nil me plectra repulsa iuuant .
Si me lethæis obliuia pigra sub vndis
Mersere ; heu frustrà Pegase fundis aquas .
O incerta memor vis mentis : munus iniquum ;
Sæpe dolo, medio in tramite sistis iter !
Heu quoties Menti longo mandata labore ,
Vanescunt celeri mox simulacra fugâ !
Et repetita diu cursu simulacra secundo ,
In cœtu celebri victa pudore cadunt .
Tam grauis insumpti custos malè fida laboris ,
Ferre decus potetas , inuida probra paris .
Non tua stultus ego ludibria fœda subibo :
Ante oculo stabit fida tabella notis .

DE SENECTVTIS incommodis .

SVm vigil , an vanâ deludor imagine somni ?
O mea quæ species lugubris ora tenet ! (gatur
Phœbe quid hoc monstri est ? quæ lurida spectra va-
Ante meos oculos ? larua quid ista monet ?
Incutiunt mihi cuncta metum : fœdissima vultu
Forma mihi occurrit : concutit ossa pauor :
Fœmineâ sub veste latet : per colla capilli
Sparsi humeris , latè crine cadente , fluunt .
Cana coma est illi : frontem niger occupat horror :
Asperat & fœdas plurima ruga genas .
Non secus ac Solis radijs exusta furentis ,
Sicca cutis rigido cortice membra tegit .

In

In numerum censere queas cuncta ossa: rigescunt
Nerui: stat macies horrida; pallor iners.
Exhausto vacuæ tenuantur sanguine venæ:
Et manuum digitos germina sicca putes.
Et sua languet iners quicunque ad munera sensus:
Cunctaque destituit robora prisca vigor.
Sæpe iterata cauas aures vox irrita pulsat:
Hæret in edendis torpida lingua sonis.
Bina suas naris vires amisit odoras:
Tactus hebet manibus: lumina luce vacant.
Tergaque prona solo curuâ se mole supinant:
Languida sub tremulo poplite crura labant.
Tussis anhela quatit pectus: tremor occupat artus:
Lurida per nares gutta caduca fluit.
Excreat & madidi mucosa per ora liquores:
Imbre pluunt fœdo: fœda labella tument.
Tetra cauernosas ostentant ora lacunas:
Dente suum nullo lingua retardat iter.
Tunc mihi sic Phœbus: Species obiecta Senectam
Monstrat, & in censum te vocat illa suum.
Quæ fingis noua monstra tibi? quæ spectra recenses?
Per certos didicit tendere vita gradus.
Ætas prima tibi teneris prolusit in annis:
Firma diu posthac creuit adulta magis.
Inde tibi in validam viguit robusta iuuentam:
Nonne suas repetet tarda Senecta vices?
Hunc cunctis statuit rebus natura tenorem:
Cunctaque, fatorum lege, Senecta manet.
Nonne vides istis se subdat legibus annus,
Atque suas habeant tempora cana vices?
Ver tibi florentes ætatis suggeret annos;
Feruentes iuuenis torridus æstus alet.

Tem-

Temporis Autumnus signabit cœpta senilis:
Prægraue iam Senium torpida monstrat hyems.
En montes, capita alta, comâ conspersa niuali,
Deuexæ ætatis nuncia signa ferunt:
Sicca riget tellus: niueis stant cana pruinis
Æquora camporum: sistitur vnda gelu.
Torpet iners anni languentis læta iuuentus:
Viuida destituit frigida membra calor.
Arboreæ fluxere comæ: viduata caduco
Crine gemit silua, & vertice nuda patet.
Annosæque ruunt ingenti robore quercus,
Et sua cupressos pigra senecta tenet.
Immortale decus sibi sumpserit irrita cedrus;
Nam Libani cariem cedrus odora dabit.
Deficient etiam viuacis sæcula cerui;
Longaque nec colubri vita perennis erit.
Marmora corripiet tandem longæua vetustas;
Extremam subeunt æra caduca diem.
Quid citò labentis quereris confinia vitæ?
Et Senium celeri præproperasse gradu?
Bina super dena enumerat tua lustra senectus:
An breuibus spatijs ocyor hora subit?
Vere vides celeri, subitoque senescere flores:
Mane vigent orto; sole cadente cadunt.
Quàm breuis, atque fugax nascentis vita dici!
Viuendi exiguo tramite constat iter.
Fortè alias hominum vitas tibi diuite censu
Commemorem? plures læta iuuenta rapit.
Nunc memor ingenitum viuendi disce tenorem:
Hinc Senij caussas discere iure potes:
Ætatis spatium triplex tibi vita ministrat:
Illud tamen est cunctis æqua per orsa tenor.

In-

Inchoat in pueris nascens primordia vitæ;
Inde tenet validum læta iuuenta locum.
Postmodo languescit paullatim tarda Senectus,
Et vitæ lento tramite tendit iter.
Humida vis pueros ingens, vis magna caloris
Corripit: vbertim suffice dextra dapes.
Temperat humores, frænatque iuuenta calorem
Immodicum: infelix ne tibi damna crees.
In senibus calor elanguet: languescit & humor
Natiuus: Senium iam tibi fata parat.
Vita etenim constat natiuo fulta calore:
Humor & ingenitus munera lucis alit.
Quæ vos Astrologos deliria vana gubernant?
Astrorum ætates vultis ab igne regi.
Infanti Lunam tribuunt, puerisque loquentem
Mecurium, atque ætas Cypride adulta viget.
Titan igne viros fouet, atque ad magna patranda
Euehit: & Mauors prœlia mente mouet.
Iuppiter enixè maturos indere mores,
Et placidæ mentis munera mollis amat.
Heu Saturne grauis, quid tu portendere gaudes
Morosos etenim reddere turpè senes?
Atque senes, iterum infantum deliria doctos,
Ad Lunæ instabilis probra redire iubes?
Hinc procul, astrorum cultrix, gens vana facessas:
Mentiri innocuâ sidera luce doces.
Vin' morbos etiam seniorum, & crimina narrem?
Forsan & in partem criminis ipse venis.
Sæpe sequi videas hæc tardam damna Senectam,
Quæ tamen euentus falsa subinde probat.
Sunt trepidi, pauidique senes: tremor occupat artus,
Membraque curuato pondere ad ima trahunt.

Nem-

Nempe calor languet, rectos qui sustinet artus:
Quique animos addit; qui magè robur alit.
Suspicioque senes vexat: nil credere nôrunt;
Ancipitem semper dicta tulere fidem.
Hi satis experti fallacis crimina linguæ,
Corque dolis fœtum, credere iure negant.
Dextra tenax senibus: deuincit auara cupîdo:
Linquere quæ properant, fœdiùs arcta tenent.
Maior inest senibus viuendi nempe cupîdo:
Hinc cura ad vitæ commoda maior erit.
Sint bona difficili nôrunt quàm parta labore:
Quàm facili pereant sæpe profusa manu.
Serius incumbas dentes seruare Senectas
En tibi cunctorum rarior ordo patet.
Sunt lati dentes suprà, tenuantur ad imas
Attritu exeditur quæ tenet ima caro.
Inuida iam cunctos mihi sustulit atra Senectus
Immeritos: nulli nam nocuere mei.
Sæpe ruunt teneras fibras quia deficit humor:
Sic viduata suis frondibus arbor erit.
Sæpe cadunt, humor nimius quòd crescat in imis
Dentibus: hoc pressus deperit amne calor.
Frigora sæpe etiam dentes fecere caducos:
Illa etenim neruis frigora sæua nocent,
Ah te ne lædat salsâ pituita pruinâ:
Externusque paret ne tibi bella calor.
Subsidium (iam rumpe moras) dens præstet adulter:
Impleat amissum sectile munus ebur.
Canitiem nunc disce senum; nunc disce pudendam
Caluitiem: vitium plectit vtrumque senes.
Excrementa putri vitiant humore capillos,
Quorum radices excipit ima cutis.

Hîc alitur crini putridus qui confluit humor;
Vincit natiuus, nec coquit igne calor.
Hinc coma cana venit; videas pallescere messes
Hoc vitio; putris cùm tenet ima latex.
Caluitiemque creat calidus qui deficit humor:
Huius inops crinis, sponte caducus erit.
Robora sic frondes; leuior sic penna volucres
Deserit; ille humor nexile gluten erat.
Et timor immodicus canos quandoque capillos
Esse dedit: petijt ima timore calor.
Anteriore magis mos est caluescere parte:
Ægrè posterior linquere visa comas.
Ante etenim cerebrum altè prominet: vda potestas
Egelida est maior: quæ data retro, minor.
An fugias quæ damna tulit natura Senectæ?
Irrita cura tibi, vanus & vsque labor.
Crimina declines; deceant quæ digna Senectam
Excole; virtutum moribus adde decus.
Sit grauis incessus: maturæ mentis imago
Eniteat; linguæ purus in ore sonus.
Nil peccent oculi: nil falsâ mente reuoluas:
Candoremque comæ vita referre queat.
Ne quæ viuendi portus traducta Senectus
Est nobis; vita naufraga saxa paret.

IN TEMERE IVDICANTES.

Pone modum menti: temeraria fræna coërce;
Nec læuam in partem facta aliena trahas.
Cordis in arcanum iudex rimaris iniquus;
Nec testes oculi pectoris esse queunt.

Sunt

Sunt quæ oculis obiecta patent fallacia: mentis
Arbitrium cæcæ ludere sæpe solent.
Hoc temere erectum deponas mente tribunal;
Iudex non æquus; testis iniquus eris.
An fidas oculis? incertus luminis index:
Sæpe duces oculos noxius error habet.
Tecta latens vndis, recto stat tramite virga;
Teste oculo, prauo tramite, serpit iter.
Prospiciat Lunare decus, Titana coruscum:
Illo etenim exiguæ iudice molis erunt.
Molis & exiguæ grandescere visa tuenti
Sæpe; nec in numerum visa venire suum.
Reddantur vitro rerum simulacra trigono;
Vnius in multas crescet imago rei.
Cætera quid referam ludibria vana videntum,
Innumeris oculos fallere nata dolis?
Præcipites mentis retrahas malè cautus habenas:
Turpè ruet dubias cæca secuta vias.
Fallimur in certis: spes fit magis irrita veri
Ad dubia; ancipitem nata fouere fidem.
Andabatas referunt oculi, dum scire latebras,
Et penitos ausi cordis adire sinus.
Nempe hominē tenuisse putant; sed brachia truncū
Arcta tenent: stolidum brachia sæpe pecus.
Iudicio sic nixe leui tam magna sinistrè
Arguis, & prauâ crimina mente seris?
Incessum gerit ille grauem, vestigia librat:
Hæc tibi ventosi signa tumoris erunt.
Cogitat hic vultu tristi, frontemque seueram
Corrugat: condunt pectoris ima dolos?
Huic sermo est modicus; parco sunt verba palato:
Rusticus è siluis cultor agrestis erit?

Quid

Quid facunde sapis? verbis plectère profusis:
Ore siles? stipes nescius ore loqui.
Pexus erit crinis? muliebres ferre capillos
Diceris. impexus? stoicus horror habet.
Ora sales iaciunt? concinnat lingua lepores?
Te scurras inter ludicra scena vocat.
Fortè vides iuuenem, decliues noctis ad horas,
Ante fores alias; te iudice, mœchus erit.
Vana putas: neptem conuênit nocte vocatus;
Vel soror accivit; causa perurget iter.
Incidis in comptam, formosâ frante puellam;
Iam subitò fœdum mente reuoluis opus.
Deliras: inter vestales censa sorores,
Vrbanas relegit mox abitura vias.
Hunc parcum in miseros mendicè plectis auarum?
Dote huius tacitâ est nupta puella viro.
Ore tibi occurret pinguis ceruicis obesæ;
Lurconem è vultu coniicis esse suem.
Mente pecus redoles: ieiunia crebra fatigant,
Casta quies animi, membra saginat amor.
Hunc gracilē, tenuemque vides: tibi sobrius haustu,
A dape ieiunus; sed sibi gurges erit.
Aspicis ingressum sacrâ de gente lupanar;
Impia sacrilegâ mente patranda putas.
Per transuersa ruis: malè sano duceris auso:
Vt scelus auertat, concitat ille gradum.
Arbiter infelix, quæ mens tibi læua fuisset,
Cùm petit Assyrij castra puella Ducis?
Arte priùs formam comit; sub lege capillum
Ire iubet; nitidos induit illa sinus.
Imponit capiti pulcræ redimicula mitræ;
Ornant fœmineas aurea vincla manus.

Apta

Apta nitent viduis pedibus sandalia: gressus
Mollis, & edoctus corda mouere Ducis.
Non hæc visa tibi furtiuum quærere amorem?
Et castum iuueni prostituisse decus?
Nocturnas epulas, conuiuia iussa vocantis
Læta adijt; solum. fœmina nacta virum.
Iudicium quod mente feres? exuta pudorem
Quæsitum longo tempore fœdat amans?
Falleris: Assyriam meditatur fœmina cædem;
Dextra soporatum sustulit ense caput.
Quæ tibi cernenti surgentem in vulnera ferro
Abrami dextram? mens quoque læua foret?
Carnifici similem damnâsses mente furorem:
Sæuitie hæc poterat dextra præire feras.
In natum sæuire patrem! te iudice, tygres
Vincet, victa ferox ira leonis erit.
Mente nefas agitas: iustis parêre Tonantis
Prompta manus, meritâ laude canenda venit.
Ales Olympiacus tibi quid si visus in æde
Virgineâ? innocui probra pudoris habet?
O cæcas hominum mentes, prauique tribunal
Iudicij! ignarò iudice causa cadit.
Quæ sua quemque tenet vitiorum fœda cupîdo;
Par ferre arbitrium mentis iniqua solet.
Vritur hic fœdo malè sanæ Cypridis igne?
Hac putat alterius corda perusta face.
Turpè tenax alios temere censebit auaros:
In sua periurus crimina quemque vocat.
Corda dolis fætus cunctos dabit esse dolosos;
Raptore hoc quiuis iudice raptor erit.
Hunc tenet ambitio? quæsiti damnat honoris
Cunctos; cunctorum pectora liuor agit.

Elatum carpis fastum, tumideque superbum:
Flecte oculos, altè te tenet iste tumor.
Arguis epotos nimiùm, nimiumque gulosos:
Et tuus in patinas iugiter ardet amor.
Est tibi mens, vitri veluti suffusa colore:
Quæque foues animo crimina, mente notas.
Ante oculos stent vsque tuos, quâ lege tribunal,
Quoque modo Iudex quærere crimen amet.
Indagat solers obiectum crimen, & omnes
Indicij latebras sedulus antè notat.
Nil statuit præceps; subito nil iudicat auso:
Quodlibet expendit pondere libra sagax.
Excutit & causas sceleris, momenta requirit:
Tempora cuncta sagax, & loca cuncta subit.
Vtque fides rata sit, non vnus crimina testis,
Sed plures dicto compare ritè probant.
Auditurque reus, defendit iura patronus;
Ne victa ancipiti crimine causa cadat.
Et dudum seruatus honos, & fama pudica,
Te falsò fiet iudice teste rea.
O si mentis amor regeres studiose tribunal,
Consilijsque tuis sensa notanda forent!
Iudicij formam cunctos, moremque doceres:
Ista tuo arbitrio scita tenenda dares.
Facta nefas redolent? mentem nè crede malignam;
Pectus iners, deses cura peregit opus.
Abripuit subitus calor, inconsulta cupido;
Obduxit mentis lumina cæcus Amor,
Præuertit vires animi citò concitus æstus
Irarum; eripuit lora coacta furor.
Innocuè falsus prauum sibi duxit honestum;
Quod patet est crimen; crimine corda vacant.
Has

Has sibi iudicij leges, hae scita recondat
Quisque memor: Iudex nullus iniquus erit.
Hos spernis monitus? in te tua damna recurrent:
Non æquus Iudex: incipis esse reus.

TEMPORIS IACTVRA defletur.

Tempus iners, motu celeri licèt otia damnes,
Nullane te spreti temporis ira rapit?
Fare. tua cùm lege meent quæcunque per Orbem;
Temporis arbitrio & cuncta regenda velis.
Muneribus quæ digna tuis vsura profusis
Constet, & in donis anxia cura memor.
In censum tua sæcla voces, annosque requiras:
Discute lustra sagax; mensibus adde minas.
Coge dies responsa dare; incute voce timorem
Horarum spatijs: parua minuta roges.
In partes momenta seces, & coge fateri
Temporis incassum credi a dona tui.
Nocturnas horas quæras, & quære diurnas;
Vmbra tibi testis, lux tibi testis eat.
Sed Tempus mihi verba negat: vox irrita languet;
Lingua locuturos pressit in ore sonos.
Cernis vt inculto stent Tempora cana capillo?
Defluat vt riguus mœsta per ora latex?
Flere oculis mauult, quàm reddere verba roganti;
Prægrauat amissi Temporis ima dolor.
Tot malè frustrati reuolutâ lege labores,
Totque vices, vacuo Tempore, corda premunt,

Mutus an ipse etiam, Tempus, tua damna silebo?
An tua probra etiam prætereunda putem?
Assertor tibi, Tempus, ero: tua iura tuebor:
Effusi incassum Temporis vltor ero.
Gens ignaua hominũ, pecudum de stirpe rudentum;
Quot tibi sint præstò Tempora cerne modis.
Non sat Sole tibi lucem vexisse diurnam;
Noctis & vmbriferæ dona tulisse satis.
Quæ non damna subit? quæ non angusta subintrat
Carceris, horarum quò tibi monstret iter?
Æratâ sub mole latens, vertigine crebrâ
Voluitur: æratis dentibus vsque patet.
Sustinet assiduè reuoluti pondera saxi:
Cannabis intortæ noxia vincla subit.
Creber in aure fragor: tinnitibus vsque fatigat
Rumor, & à ferri verbere nulla quies.
Et cùm pulsus adest horarum; crebra rotarum
Quæ vertigo rotat! quæ fuga raptat iter!
Pondera ferre putes, ruptâ compage, ruinam:
Molis opus fractum procubuisse solo.
Tempus, membra para; iam malleus arduus ictu
Instat, vt ærato verbere terga terat.
Iamque horæ signũ dederunt tua munera, Tempus;
Dura iterum repetas: sume laboris opus.
Flebilis Ixion, nunquam tormenta rotarum
Deficient? tortor ferreus vsque premet?
Æra satis preßere: vocat nunc mollis arenæ
Te labor in vitro; clepsydra cogit iter.
Cerne per angustum tenuata in fila foramen,
Vt se Tempus agat, vitrea iura sequens?
Tende iter assiduum; tardet nec mollis arena
Lenta pedes: pugnas hæc tibi arena dabit.
Coge-

Cogeris & liquidis metiri Tempora lymphis:
Durius in molli carcere surget opus.
En paries tibi bella ciet: stat ferrea cuspis
En fixa: illa tuum sedula seruat iter.
Heu Tempus, Solis suboles, Phœbique propago!
Cogeris vmbriferâ à cuspide iura pati.
Et gyro reuoluta breui, vinclisque coacta,
Vt præstes horæ commoda, tendis iners.
Seruitium famulâre vias ne deserat, horas;
Auro & argento Tempus & ære notat.
Insertusque etiam digitis notat annulus horas:
Dum signat, paruâ cuspide, vulnus agit.
Quîd referam Ligurum lapides per plana iacentes
Innumeros? Tempus, Sole iuuante, notant.
Ver tibi dat Tempus; Tempus maturat aristas;
Autumnus constat Tempore; constat hyems.
Exactæ memorat Tempus tibi munera vitæ:
Dat tibi nunc vitæ dona; futura dabit.
Temporis hæc homines quo munere dona rependũt?
Quis tam frugiferi Temporis vsus erit?
Muta siles Gula. quot tua Tempora fœda vorâgo,
Sorbet hians? tacitè tecta latêre cupis?
Mane iubes epulas ferri: conuiuia noctes
Excipiunt: medio cernit ab axe dies.
In gyrum reuoluta meant noua pocula Bacchi,
Ebria dum dederit membra sopora merum.
Rumpe moras, Tempus: vigiles te nocte choreæ
Ad noua pensa vocant: exulet inde sopor.
Stentque manus manibus iunctæ: ducantur in orbem
Fœminei leuiter fœda per orsa pedes.
Verte vices, Tempus: te nunc spectacula poscunt;
Laruatæ facies, scena, theatra, ioci.

Segne gradum celera; volucres in littore cymbæ
Te propè Pausilypum, Tempus, adesse iubent.
Rheda puellaris longo ordine marginis oram
Littorei complet: forma perîcla cupit.
Venalem fieri gaudet Cytherea pudorem,
Atque vbi nata Venus, turpè perire decus.
Ad reditum currus; iam nox ruit: arma Cupîdo
Expedias: neruos tende: resume faces.
Hora breuis superest: artes môlire nocentes;
Dent nutus oculi: turpia signa manus.
Turpè tuas sic, Tempus iners, sic molliter horas
Traduci pateris? segniter arma moues?
Neue tuam, longæue senex, prætende senectam:
Ingens annoso in corpore robur alis.
Tot, quæ strata iacent, regnorum diruta busta,
Nonne tuæ, Tempus, diripuere manus?
Cerne vrbes stratas; populorum cerne sepulcra:
Temporis hæc peperit sæua trophæa furor.
Ære laboratos sublimi mole colossos;
Hos potuit morsu rodere Tempus edax.
Marmora puluereas iamdudum experta ruinas;
Temporis inuicto robore pressa iacent.
Excipit hæc Tempus: pronâ probat aure cruentum,
Nec festinatâ cæde reuoluit opus.
Ire suas lentè sinit horas: abdita cæco
Certa latet gremio, quæ rapit hora diem.
Quòd sese Tempus morsu consumat edaci,
Fide nihil: reparat funera vita redux.
Quæ tua præteriјt viuendo turpiter hora,
Retrò meat nunquam: pœna luenda manet.
Traducis risu Romani Cæsaris horas,
Quòd muscas ferri cuspide figat iners.

Artha-

Arthabus Hircanus probrosâ voce laborat,
Quòd talpas cæcâ sedulus arte capit.
Insanire putas Eropum, quòd regna struendis
Laternis fœdet, sceptra pudenda regat.
Lydia deludis moderantem regna Biantem,
Quòd per ranarum viscera fila trahat.
Hæc non flenda magis, quàm deridenda cachinno
Mente putes sanâ: Tempus inane fluit.
At nocuo mentem inflammare Cupidinis æstu,
Et Veneris fœdâ corda necare lue.
Frangere delicijs animum, mollire iuuentam
Desidiâ; stygio tradere membra rogo:
Temporis haud vanè amissi iactura putanda est
Ludicra: cunctas hic decoquit ardor opes.
Has bene si fluxi traducas Temporis horas,
Occiduam nunquam senseris esse diem.

DE AVRO.

O Precor alme meis iratis parce querelis;
Argue neue precor carmen Apollo meum.
Est tecum mihi certandum; in tua dona Camœna,
Inque tuum munus carminis ira fremit.
Quæ tibi mens, Aurum penitâ tellure repôstum,
Et fœdam hanc Orbi Phœbe dedisse luem?
Edita tam digno suboles indigna parente:
Hoccine vipereum pignus in orbe satum?
Phœbe tuum scelus hoc: tellus nil peccat: iniqua,
Te sine, non illa hæc pigrora fœda daret.
Ah pereat ferrum, foditur quo fulua propago:
Et sua fossorem digna sepulcra tegant.

Sole satum pignus tenebras induxit in Orbem;
Extractum ferri vulnere, vulnus alit.
Destituat flammas calor irritus; algeat ignis;
Arida nulla queant reddere ligna faces.
Purgando fornax nitido decreta metallo
Corruat: accenso clibanus igne vacet.
Aurea prisca olim tunc Orbi sæcla redibunt;
Auri dum fuerit pulsus ab Orbe nitor.
Vrebat cupidos non vllos ardor auaros,
Aurea dum dederat nulla cupîdo faces:
O fortunatos, quibus aurea contigit ætas!
Indiga tunc Auri munere, diues erat.
Optabat quicunque suos habitare penates:
Nulla peregrinas quærere cura plagas.
Pascere pastor oues; villos tondere bidentum:
Curabat lactis dona referre domum.
Exercere boues optabat ruris arator:
Semina versato credere iacta solo.
Carpebatque suas maturas vinitor vuas:
Et sua potabat vina repôsta cado.
Munus erant mensæ collecti ex arbore fructus:
Mitia securâ poma legenda manu.
Fictilium regnabat opus, nec auara cupîdo
Nouerat auratâ lance referre dapes.
Mutauere vices cuncta hæc, dum dona reperta
Fulgida; tunc ausis est patefacta via.
Non tua auara ratis tetigisset littora Colchi,
Ausa per vndosum tendere vela salum.
Nec vigilem Æsonides strauisset cæde Draconem:
Cæde nec æripedes sterneret ille boues.
Non Medea foret raptori iuncta marito:
Impia natorum cæde nec illa foret.

Cri-

Criminibus causas sceleratum præbuit Aurum ;
Cuncta hæc auratum crimina vellus habet.
Seruaßet Danae niueum benefida pudorem,
Auri ni pluuius Iuppiter imber erat.
Sensisses nulla infelix incendia Troia:
Has dederunt nocuas aurea poma faces.
Virgo virum nullum, pernix Athalanta, tulisses:
Aurea post tergum mala dedere virum.
Innumeras cernas sulcantes æquora pinus:
Cerne procellosis credita vela notis.
Nauigat hæc Aurum quærendum classis ad Indum;
Immensas peragrat regna per alta vias.
Sustinet vndosi spumosa pericula ponti;
Turbineas Cæli, nube tonante, minas.
Aduersas quoties offendit in æquore classes!
E multis quoties rara reuecta ratis!
Mente subi ingentes imâ tellure cauernas:
Cerne cauernosos cæca per ora sinus.
Gens hominum, damnata cauis operosa fodinis,
Ima tenet, ducit sed sine luce dies.
Viua iacet, terræ properè tumulata sepulcro:
Sole carens, Auri lumina cæca fodit.
Abscessu montis quoties reuoluta supernè,
Auri foßores prona ruina premit!
Sponte suis manibus certant sibi condere bustum;
Aurea dum quærunt lumina, luce vacant.
Quàm merito Natura parens hæc dona recondit
Fulgida, telluris texit & illa sinu!
Quæ latura forent ingentia damna per Orbem,
Sensit, & hanc studuit condere nocte luem.
Audaces Aurum docuit tentare rapinas:
Impia sacrilegâ furta patrare manu.

Quòd

Quòd grassator iter teneat; pirata quòd æquor
Obsideat, latro & nocte fauente vias;
Empta quòd est hominum cædes; obiecta dolosis
Quôd vita insidijs, aureus ardor agit.
Auertas cupidum flauenti lumen ab Auro:
Est tuus in lubrico, casta puella, pudor.
Seruabit nec casta fidem matrona marito;
Aurea sollicitent si data dona fidem:
Iudicis innocui sensus flectetur ab Auro:
Æqua volens, Auro pellice, iniquus erit.
Et iurata fides oblato rumpitur Auro:
Hoc furtim pacto, fœdera pacta ruunt.
Nexus amicitiæ promisso soluitur Auro;
Mutua coniugij vincla soluta cadunt.
Nutat amor fratrum; pietas malè firma parentum,
Aurea si hic aries verbera crebra nouet.
Nulli aditus pateant: aries nil territet arces:
Auro aperit faciles ianua pulsa fores.
Cur ignaue tibi desperes culmen honorum?
Hoc Auri fultus pondere, celsa petes.
Hinc procul abscedas Auri malè sana cupîdo:
Non sacer hic auro diuite constat honos.
Imperij constat maiestas viribus auri:
Te sine regnorum sceptra caduca ruunt.
Tu Reges ad bella vocas; tibi miles in armis
Obsequitur: cædes, prælia cuncta moues.
Te sine muta silent posito Mauortia cantu
Æra; nec armatum cingitur ense latus.
Heu pudor! interdum te copia diuitis Auri
Turpè inopem reddit: vincit auara lues.
Hæc tibi, teste Midâ, non vana exempla recurrent,
Cui mala lethiferam dona tulere famem.

Bac-

Bacche quid indulsti misero sua damna petenti?
Irrita quin dederis vota petita fore?
Ille cupit, quæ tacta manu, vertantur in Aurum;
Annuis & votis tam male Bacche faues!
Dextra dapes tangit: tactæ vertuntur in Aurum:
Pocula tanguntur: pocula tacta nitent.
Ah pereas nocuis nitidum fulgoribus Aurum!
Aurea lethiferam dona tulere famem.
Noxie curarum genitor, scelerumque minister;
In terræ referas pallida dona sinum.
Ipsa probro Solem maculat genitura parentem;
Et pudet in partem criminis ire tui.

DE LILIIS.

O Decus aprici nascentis Lilia Veris
Lactea, sublimi germina nata polo.
Candida pratorum suboles, & pubis odoræ
Celsus honos, Floræ pignora adulta sinu.
Quos alios tellus florentes educat ortus,
Floricomum vestrum post decus ire queunt.
Progenies deducta polo, Iunonia pubes:
Vos etenim Veris florea sceptra decent.
Cernis vt emeriti gestent insignia regni?
Regius vt viridi ex germine surgat honos?
Regia tolluntur sublimi Lilia culmo:
Crescit odoratus celsus ad alta thronus.
Candida circumstat nitido velamine byssus:
Et color hic etiam regia sceptra decet.
Fulget apex triplici rutilo circundatus auro:
Has nôrunt Regum serta referre notas.

Otia

Otia pacatas regni moderantur habenas:
Sollicitat nullus candida regna pauor.
Castra rosas cingunt: en spinea cuspis in arma
Crebra venit: trepido regna pauore tenent.
Hastatus lateri se iungit militis horror:
Stat vepreo custos cespite lecta cohors.
Non hæc innocui sibi flores arma reposcunt:
Candidus innocuo in germine regnat amor.
Turba libens florum, sceptro subiecta niuali,
Gestit amans Regis candida iussa sequi.
Vnde illis suboles, & quæ data stirpis origo?
Inclita Olympiacum nata referre genus.
Edita Iunonis censentur Lilia lacte:
Sparsus & his folijs candidus imbre liquor.
Alta viden' sublata polo fastigia tollunt
Lilia? procero germine celsa petunt?
Nempe solum natale polum, Cœlique cacumen
Respiciunt: patriæ culmina sedis amant.
Tellurem prono despectant vertice: Cœlo
Aspirant: Cœli munera semper auent.
Pandere hiulca sinum gaudent, patuloque labello
Sideream implorant Cœlitis imbris opem.
Hoc niueo cum flore Venus commercia vitat:
Illa faces; puras educat iste niues.
Septa Venus spinis, vepribusque infesta cruentis;
Candida non vllo Lilia sente rigent.
Quîd tibi Olympiaco pernix certamine victor
Poscis, & hunc florem dura palæstra cupis?
Quîd libitina tuam puro hoc de flore corollam
Texis, & immerito cingis iniqua caput?
Hæc sunt innocui Cœlestia signa pudoris;
Hæc sibi despondet casta trophæa Pudor.

Hæc repetat felix in celſum curſor Olympum,
Et quem victorem caſta palæſtra dedit.
Lilia ne repetat, funebria dona ſepulcrum,
Sed quem nulla tenent funera caſtus Amor.
Edendo huic flori Naturæ cerne laborem:
Illius ſolers cerne creantis opus.
Ire ſuper cunctos procero corpore flores,
Cunctorumque ſuper iuſſit & ire decus.
Inſudatque operi vigili molimine: ſtirpem
Imam agit: excelſo culmine nempe parem.
Erigit obliquo non vllo crimine thyrſum:
An candor prauo crimine fultus eat?
Inclita maieſtas, & frontis læta venuſtas
In niueo floris germine culta nitet.
Aureis ipſe ſuis viſus præconia linguis
Flos canere, & niueum tollere laude decus.
Stat primùm calice incluſus; calicemque peroſus,
Mox clauſos aperit fronde patente ſinus.
Lacteus in folijs inſperſus cernitur orbis,
Auroræque putes Lilia ferre notas.
Fulget odoratum præcelſi verticis aurum;
Et niueus candor tectus ab igne venit.
Lilia non vno veniunt cenſenda colore:
Natura in varium ludere geſtit opus.
Aurea gignuntur: gignuntur cærula: cana
Sunt alia: atque alijs ardet in ore rubor.
Hinc tibi ſunt vitæ, ac morum documenta petenda:
Inde pios monitus diſcere nempe queas.
Iris Olympiaco Cœli ſuffuſa colore,
Cæruleum doceat voluere mente polum.
Vſque tibi niueum commendant alba pudorem;
Candoremque parem mente referre docent.

Aurea

Aurea quæ rutilo, fuluoquè colore renident,
Ætherias monstrant Cœlitis orbis opes.
Flammea quæ referunt viuis in frondibus ignem,
Sidereâ suadent corda flagrare face.
Omnia sublimi surgentia Lilia culmo,
Ferre negant humili pectora prona solo.
O quos vana rapit florentis cura colendi
Ruris, & has cogit quærere Vêris opes!
Quîd varios censu, & peregrino nomine flores
Quæritis? ignoto pignora nata solo.
Quæ plaga cumque latet, totum disiecta per Orbem
Quæritur; insudat sedulus vsque labor.
Quas tulit occiduus, quas Orbis gignit eous,
Vêris in areolis cura requirit opes.
Lilia spreta iacent; oblita rosaria Pæsti;
Et censu in nullo flos Hyacintus erit.
Est Violis pretium nullum: Vaccinia sordent,
Et Narcisse tuus viluit altus honos.
Laude cares Amaranthe tuâ: iam Caltha siletur;
Immemor & cultus floris Adonis erit.
Et Croceus, semperque virens amisit Acanthus,
Et flos amisit nomina Solis amor.
Candida deseruit solers iam cura Ligustra:
Pæoniæ cultus viluit arte labor.
Ad Thulipas conuersus amor: iam nomina florum
Cura peregrinis quærere vecta plagis.
Occidui quîd Vêris opes, colitisque caduci?
Æterni rapiat pectora Vêris amor.
Ver ibi sidereum non vllo est flore caducum;
Æstus erit nullus, nulla nocebit hyems.

IN INVIDVM.

QVæ te nox miserum cæcis cumulata tenebris
Inuidiosa tegit, tristis & vmbra grauat?
Insomnes oculi vigili tortore laborant:
Exulat assiduè pulsa sopora quies.
Inuidiâ torqueris, inops solaminis; omne
Corda malum cruciat: cuncta dolore premunt.
Tu tibi virus alis; tibi tu tormenta ministras:
Exercetque tuis viribus arma dolor.
Tela tibi cudunt oculi; per lumina mucro
Transuolat,& penita in pectora vulnus agit.
Alterius te torquet honos: felicia vexant;
Te tristem reddunt gaudia; celsa premunt.
Te laus alterius, mœstas traiecta per aures,
Transadigit; nocuâ cuspide corda ferit.
Vipeream pectus subolem fera pignora nutrit:
Matris in exitium nata propago viget.
Sponte lacessito, furiali carperis igne;
Incendis nocuas tu tibi mente faces.
Ipse tui tortor, lanienæ sæuiùs instas:
Te tua supplicij pœna repôsta manet.
Quas fundis lacrimas, aliorum læta voluptas
Parturit: alterius viribus æger eris.
Tu tibi sponte luem lethalem in viscera condis;
Et putridum venis iugiter vlcus alis.
Heu cunctis infesta lues, quæ fœda per Orbem
Diceris immeritam prima tulisse necem!
Liuor hic innocuum primus fœdauit Olympum:
Vssit Cælicolûm torrida flamma genus.

Hæc

Hæc prior irriguo perfundit sanguine dextram:
Primaque fraternâ cæde cruentat humum.
Isaciam hæc subolem Pharias traducit in oras:
Seruilique iubet tradere colla iugo.
Sceptra tenet liuor: liuor bacchatur in aulas:
Hæc quocunque vigent semina adulta solo.
Vritur Inuidiæ miserum liuore mapale:
Condita liuoris semina arator alit.
Inuidus ad rixas pastores incitat ardor,
Et piscatorum retia liuor habet.
Æmulus & liuor templorum sacra prophanat:
Æmula lis roseas inficit atra togas.
Fœmineumque genus magis inuida cura perurit:
Formosasque minus forma venusta necat.
Quò vesanus agit mentes furor! inuidus ardor
Ad quodcunque mouet pectora quæque nefas.
Est aliis vitiis quædam quæsita voluptas,
Illitaque est mellis noxa patrata fauis:
Quærit auarus opes; congestis gaudet auarus:
Turpia consequitur gaudia fœda Venus:
Ambitio dudum parto lætatur honore:
Raptorique placent furta relata manu:
Iratis veniet vindictæ grata voluptas:
Alliciunt cupidam fercula grata gulam:
Sæua vni Inuidiæ tantùm tormenta parantur:
Vsque dolet: semper rumpitur; vsque gemit.

AD

AD QVENDAM, qui totam noctem totamque ferè diem dormiendo transigebat.

Tantane te nostræ capiant obliuia vitæ,
Præripere vt lethi tempora, stulte, velis?
Nocte iacens totâ somno te tradis inerti:
Totaque penè dies pressa sopore iacet.
Transijt in feretrum, properatâ morte, grabatus:
Lintea funereæ stragula mortis habent.
Nil differre putes lethum, mollemque soporem:
Mors somnus iugis; mors breuis ipse sopor.
Cerne soporatum porrectâ mole supini
Corporis: extenso membra tuere toro.
Nulla tibi referent discrimina: mortis imago
Somnus; par morti creditur esse sopor.
Nonne vides vt cuncta sopor data munera vitæ
Auferat, & corpus reddere tendat iners?
O vbi sunt oculi? tenebræ texere soporæ:
Condita lethæâ lumina nocte iacent.
Irrita sopitas vox edita verberat aures:
Surda quies renuit pandere pigra fores.
Dextra vacat tactu; vires amisit odoras
Naris: lingua pigro pressa sopore silet.
Ala celer mentis, somni torpore quiescit,
Et quæcunque animi pressa cupîdo iacet.
Quid prodesse putes sopito diuitis auri
Pondera? frustra ingens arca recondit opes.

Quæ vos sceptra manus teneant; quæ iura gubernent
Regna, reclinatos dum sopor altus habet?
Strata Duces habeant sopitos? æra canoro
Vana sono canitis; classica nulla iuuant.
Palladijque iacent, sopitâ mente, labores:
Nullaque Apollineo laurus ab amne viret.
Aruis nulla datur quæ sudet cura colendis;
Quæ credat pingui semina nulla solo.
Et subducta pigris religetur puppis arenis;
Carbasa per pelagum flamina nulla vocent.
Hæc mors cuncta aufert: aufert hæc omnia somnus
Morte breui: migrat vita sopore breui.
Non secus ac letho, nos somno quæque cupido
Deserit, & vitæ nomen & vmbra manet.
Est thalamo affinis tumulus: nec dissita longè
A lecto lethum nomina trita gerunt.
Et dormituro, ac morituro euentus eiusdem
Sortis erit: nudos strata supina tenent.
Sollicitat quæ cura priùs, post funera, nulla est;
Nulla soporatos cura relicta premit.
Nec miseros malè sanus Amor vos vexat amantes;
Flere nec amissas curat auarus opes.
Immemor est cultûs, formæque innupta puella;
Non inopi mæret nupta puella viro.
Causidicus lites deponit: carmina vates;
Et sophiæ cessat tetricus arte labor.
Ductor agit nullas sibi iusso milite fossas,
Nullaque pugnator prælia sæua gerit.
Cùm te tradiderit fratri germana sopori;
Æmula mors simili te cupit esse notâ.
Mors cunctos æquat: nullo discrimine lethi,
Æque inopum messes, sceptraque falce secat.
Non

Non aliter somno pressis: venit omnibus æqua
Conditio, cunctos sors dabit esse pares.
Non inopes censu tristis vexabit egestas;
Non locuples censu diuite lætus erit.
O quàm læta quies inopum blanditur ocellis!
Exulat à curâ diuite nocte sopor.
Nunc age: si morti similis, sopor occupat artus;
Quid tua sopito funere fata præis?
Stet sua nocte quies; nocti concede soporem:
Nocte satus somnus tempora noctis amat.
Lux habeat vigiles oculos, tempusque diurnum,
Ad vitæ, & lucis munera membra vocet.
Nonne vides, luce exortâ, damnare soporem
Cuncta; nec elangui membra iacere situ?
Solis auis Solem venientem læta salutat,
Deserere & cantu præcoce strata monet.
Et reliquæ volucres, discussis ocyùs alis,
Ad iuga, desertis frondibus, alta volant.
Aura silens noctu sua murmura læta resumit,
Et matutino lumine dulcè fremit.
Torpidus in noctes auroræ roscidus imber
Depluit, & pigrum soluit ab amne gelu.
Ipsa soporato demissa papauera collo,
Erecto roseo vertice, manè vigent.
Viuida pratorum suboles, & pubis odoræ
Progenies, cupidè munera lucis amat.
Otia rura colens tua solers damnat arator,
Sunt tua & agricolis otia versa ioco.
Te damnare queat generosi militis ardor,
Increpat & tardas nauita puppe moras.
Mane etiam (pudeat) surgunt ad pensa puellæ,
Et properant molli voluere fila manu.

Et doctâ per lumen acu transfigere telas,
Et rhombo ductum texere stamen auent.
Et Phrigio certant opere efformare figuras
Cuspidulis, varium pingere & artis opus.
Ianua festino pulsatur clausa cliente,
Et subitam gestit ferre patronus opem.
Iudicis expectat festini iura tribunal,
Et matutinâ curia lite sonat.
Æra faber cudit sublustrem Solis ad ortum,
Et domitor dubiâ luce refrænat equos.
Et docti veniunt felices mane labores:
Pigra nec Aonium Musa recusat opus.
Mane magis facilis veniet tibi tetrica Pallas,
Ingenijque magis penna volucris erit.
Heu! sopor immodicus iuueniles prægrauat artus;
Multa quies mentis turpè retardat iter.
Vtque is stertit iners, sic somnus reddit inertes;
Otia, desidiam, turpia somnus alit.
Experrecta suos animalia cuncta sopores
Præproperè abijciunt: torpida nulla quies.
Te vigilare grues doceant: stat calculus vngue
Suspensus: vigiles has docet esse lapis.
An glires exempla dabunt, consumere somno
Totam hyemem assueti, pignora pasta luto?
Nil tibi cum somno: sopor est exactor iniquus:
Dimidiæ vitæ tempora somnus habet.
Si nocti adijcias Solem, tempusque diurnum;
Absumet totas raptor auarus opes.
Ergo minus dormi, vt mage viuas tempora somno
Quæ rapis, apponet vita recensa suis.
Peioremque putes inimicâ morte soporem:
Viuis adhuc? viuum te negat esse sopor.

DE

DE PESTE eadem tumulata loquitur.

Hic tandem iaceo. procul hinc abscede viator:
Vel mea, dum iaceo, flabilis aura nocet.
Quòd perimam cunctos, Pestis me nomine damnant:
Quòdque luant pœnas, me cecinere luem.
Ille luit pœnas quicunque hæc nomina fecit:
Nam meus è tenui flamine sermo nocet.
Non ego per campos, & aperta pericula pugno:
Fœta dolis, clades insidiosa fero.
Dum pugno, pugnare negant: iuuat arte dolosâ
Excusare malum: prælia tuta geram.
Tempora diuexant: cœlum causantur & astra,
Et referunt aliò crimina dira necis.
It per aperta meum diffusum crimine virus:
Crimen adest; auctor criminis esse negor.
Deliteo victrix: fraus indeprensa sepulcra
Complet, & in crebro funere Pestis ouo.
Excutiunt tandem letheum funere somnum;
Per crebras hominum nonnisi nota neces.
Ignotum serpit tacitum per flamina virus:
Contrahit attactu crimina fœda manus.
Heu caue transmissas tangat tua dextra tabellas!
Candida furtiuum litera crimen habet.
Vitet auara manus contagia fœda peculi:
Hoc tabes pretio cariùs empta nocet.
Delitet argento, pallenti delitet auro:
Fœdiùs & vili Pestis in ære latet.

Turba frequens templis necnon mea vota secundat,
Et sacra pestiferum conuocat ara malum.
Emporia, esca lucri, tibi sint magis igne cauenda:
Hic magis aura nocens noxia lucra facit.
Esto domi clasus: famulos include ministros;
Sit scelus vlli extra limina ferre pedes.
Verba diu celsis tibi sint excepta fenestris:
Empta foris quæ sunt, nonnisi reste cape.
Et longas perferre moras, & tædia Pestis
Sis memor: hæc virus tædia longa creant.
Parta salus multo, & longo seruata labore,
In præceps modico tempore pulsa ruit.
Ne hospitium indulge peregrinis: crede monenti
Contages blandos condit iniqua dolos.
Sis tamen officij memor: vt contagia vites
Insons, sit rerum non tibi auara manus.
Quæ veniunt, acri priùs hæc spargantur aceto;
Dein trepidâ Pestis crimina tange manu.
Si quis fortè domo abscedat, furtimque moretur,
Cumque alijs vetitos misceat ore sonos;
Exilio hunc mulcta, cœtuque exclusus amico,
Ritè quater denos distet ab æde dies.
Stet vigil ante tuas pernox custodia portas:
Hæc hominum quærat nomina, quærat iter.
Nec prece se flecti sinat, aut se flectier auro:
Respuat & fletus, respuat aure minas.
Illudit quoties hæc per suspiria Pestis!
Per lacrymas quoties hæc sibi mollit iter!
Sed si fortè tuis veniant Contagia tectis;
Ocyor ad siluas concitet ala pedes.
Solus abi; comitem vel si quem tecta requirant,
Delige quem Tabis crimina nulla notent.

Sit

Sit tibi ſilua domus: nemorum ſint tecta receſſus:
Vna mali tanti ruſtica tecta ſalus.
Omnes pelle procul: ſolus qui dona miniſter
Afferat, & menſæ commoda, tecta petat.
Otia ne perimant, tempus concede Dianæ;
Hæreat at lateri nullus ab vrbe comes.
Sed tibi ſit quamuis nemorum Dea culta Diana,
Nulla tamen lateri ſit tibi iuncta Venus.
Nempe fouet Cytherea malum: per deuia mentem
Abripit, & fœdâ corpora Tabe necat.
Ruſticus è ſiluis redeas mihi lentus in vrbem,
Et fuga ſit præpes; ſit tibi longa mora.
Quantus ab vrbe labor contagia pellere fœda!
Pulſa putas: nocuo crimine tecta latent.
Tecta latent veluti cineri malè tecta fauilla:
Corripit incautas inſidioſa manus.
Exuuiæ triſtes morientum, lauta ſupellex,
Fomes auaritiæ, dant inimica luem.
Hæc flammis mulcta: Peſtis difflabitur igne:
Ignito pereat contumulata rogo.
Afflatas ne Peſte domos feſtinus adito:
Nectè moras donec comprimat illa faces.
Tabe domos purgas? inſons purgare memento:
Furta venenatam ſæpe tulere necem.
Quæ ſuſpecta fouent Peſtis contagia, flammis
Denoueas: gelido virus in angue latet.
At ſi fortè tumens perſtrinxerit inguina bubo,
Et malè ferali carmine cantet auis;
Ne violenta ſecet durum tua dextra tumorem:
Nec properâ cæſum cuſpide vulnus hiet;
Emollire priùs morbum condiſce medendo:
Glutine mollitum mitius vlcus erit.

Nempe tumor gliſcet molli medicamine fotus,
Ocyùs & putridum trudet ad ima malum.
Tu tamen hunc ægris ſolers impende laborem,
Febris vt ex æſtu torrida membra leues.
Hæc perimit, rectâque petit cor: excute febrem:
Puſtula nil ægris, nil tumor ille nocet.
Parcè epulas afferre manu ſit cura medentis;
Ne ferat ardenti grandia ligna foco.
Paſce ægros capis decocta in iura liquatis,
Et miſtum Eoi pulueris adde decus.
Si qua tamen rapiant verſam deliria mentem,
Extremum properant iam tibi fata diem.
Mente potens, meliora para tibi pharmaca vitæ;
Ne tuus æterno viuat ab igne rogus.
Hæc ego linquo memor cunctis documenta ſalutis:
Fata iuuent, mea ſi noxia vita fuit.
Hunc cinerem nullis dignabere fletibus, hoſpes:
Sat lacrymis, ſat ſum ſanguine pota tuo.

AMICVM INFORTVNIIS obiectum conſolatur.

(æger
QVòd te ærumna premat, crebriſque doloribus
Traducas vitæ tempora, turpè doles.
Orbe ſuo triſtis quòd te fortuna reuoluat;
Nulla quòd & quereris ſit tibi læta dies.
Alter & ex alio caſus tibi dura miniſtret,
Et ſine non vllum pondere tempus eat.
Hæreat & lateri quòd ſemper triſtis egeſtas:
Et tua quòd nolit linquere tecta fames.

Inſæ-

Infæcunda tuo sterilescat vitis in agro;
Areat & sterili germine culta seges.
Aucta tuos mergant vndantia flumina campos;
Cuncta tibi rapidis ignibus vsta cadant.
Irritata gemit Virtus irata querelis:
Muta silet tristis vocibus illa tuis.
Nempe his vna malis virtus exercita crescit;
His obiecta suum viuida robur alit.
Gestit & illa suas hæc contra promere vires,
Præcipuumque suum quærítur inde decus:
Laude vacat placidum qui sulcat nauita pontum,
Perque salum molli flamine tendit iter.
Sola probat nauum tempestas sæua magistrum:
Turbinis in medio panditur artis opus.
Vrbe nec in molli celebratur Martia virtus;
Nec bellatorem ludicra pugna facit.
Ille tenet palidæ laudis præconia miles,
Vulneris impressas qui feret ense notas:
Qui nunquam didicit defendere iura patronus,
Irritus addet opem litibus ille tuis.
Hæc aduersa pati discendum: discere nunquam
Hæc aduersa pati, ni patiare, potes.
Virtutemque frequens virtutis perficit vsus;
Acris & illa leuat pressa labore caput.
Ocyor vrget iter validis calcaribus acta:
Inuia dant faciles currere saxa vias.
Hæc, velut assiduis exercita quercus ab euris,
Firmior aduersis flatibus icta manet.
Ire negat calles decliues inclita Virtus:
In iuga sublimem concitat illa gradum:
Et languescit iners, lento correpta sopore:
Exurgitque alacris si mouet arma furor.

Deli-

Delicias inter mollis sua robora frangit;
Robur in aduersis firmat at illa suum.
Viribus ægra iacet, nimiùm si membra valescant:
Pollentem reddit viribus ægra salus.
Iugiter his animum monitis firmare memento:
Euentus trepidos non dabit vlla dies.

INGENIVM MVLIEBRE damnatur.

FOëmineos optas habitus & discere mores?
Hos tibi non vanos compta puella dabit.
Cura illam tangit flauentes pectere crines,
Partitos æquâ lege tenere locum.
Stringitur in nodos; laxantur fræna fluenti,
Nexilis & multo fingitur orbe coma.
Temporibus flores, simulato vere, renident;
Spinea sed cuspis pectora vera fodit.
Antè oculos præbet famularis dextera vitrum:
Pulcrior hoc didicit iudice forma coli.
Inde genas fuco maculant, minioque rubenti,
Et pudor hoc roseo murice pulsus abit.
Additur & niueus turpi medicamine candor:
His niuibus quoties ignibus arsit Amor!
Penè patent humeri, nudato & pectora collo:
Nil habet exutus quo tegat ora rubor.
Colla, manus, aures, gemmis onerantur & auro;
Tota tamen leuitas perstat at ingenij.
Pes vagus, & vaga lumina, mobilis aura voluntas,
Atque aura volucris nata referre genus.

In

In subitas audax ardescit fœmina rixas:
Soluitur assiduis garrula lingua probris.
Vrit inexpletus muliebria pectora liuor,
Et serit inuidiæ lis inimica faces.
Æmula pulcra magis liuentem forma lacessit,
Egregiumque decus spicula sæua iacit.
Molle genus, Veneri faciles concedet habenas;
Iacta nec incassum tela vibrabit Amor.
Vrit auara sitis donorum: flectitur auro:
Hâc potis est vinci durior arte pudori.
Vt semel ingenuo laxauit fræna pudori,
Prostituet nullo victa rubore decus.
In lacrimas abeunt faciles, fletuque madescunt:
Flebilis vnda tenet lumina; corda faces.
Sit licèt imbellis, fastu tumet illa superbo;
Hæc etenim formæ prouocat ausa decus.
Et blandis captare dolis, & ludere verbis,
Nullum fœmineâ cautius arte genus.
Tempora si poscant, furiosas surgit in iras,
Sæuaque belligero concitat ore minas.
Dura preces renuit, molliri nescia fletu:
Lingua procax, vltrix aspera verba dabit.
Auertit vultum; placantia dona recusat:
Negligit armatus fœdera læsus Amor.
Nec sedare queunt suspiria mœsta procellas;
Nec rabidus riguis fletibus æstus abit.
Si tamen auersos in longum cernat amores;
Frigida nec priscas vrere corda faces;
Fœmina seruatos mutabit subdola mores;
Insistetque alias callida lena vias.
Nulla suam turbant nigrantia nubila frontem:
In placidos risus ora serena dabit.

Intermissa diu fallacia verba redibunt ;
Flectetur votis protinus illa tuis.
Damnabitque suum supplex mutata rigorem:
In pœnas veniet pronior illa suas.
Illecebris vincire nouis studiosa laborat ;
Amissa vt reparet tempora spretus amor.
Fæmineis ne trade dolis te stulta Iuuentus ;
Insere ne laqueis inscia turba pedes.
Vorticibus non illa suis infesta Carybdis;
Nec tantum Scyllæ naufraga saxa nocent.
Mitiùs inflicto te lædit vipera morsu ,
Et lacerat sæuo mitiùs vnge tygris .
Dulcè propinatur vobis lethale venenum:
Dira sub illerebris toxica tecta latent.
Eripiet sese tandem cœnosa voluptas :
Sollicitans pectus spina superstes erit.
Insidiosa rogo tandem Venus improba tradet,
Et plectet meritum Mulciber igne nefas.

QVID MALI, QVIDVE boni, vini potus afferat.

BAcche, tuas molimur opes, & dona referre
Aggredimur: sano carmine vota meent.
Non mihi posco tuum, non Musæ munus amicum ;
Sobria dum scribo carmina, vena fluat.
Pierides potant acheloia pocula: iussus
Est procul à Musis palmitis esse latex.
Si semel ex vuis expressum Musa liquorem
Libâsset ; lympha munera pulsa forent.

Ebriæ

Ebria quæque foret tam blando rore Camœna;
Nec possent, tremulo vertice, stare pedes.
Ergo Castalio toto mihi fonte madescant
Verba: meus Vates damnat Apollo merum.
Antè tamen fœcunda parens mihi carmine vitis
Dicenda est: vitis pignus & inde canam.
Sed me, Bacche, doce quâ vitem ponere terrâ
Expediat: Musam cura docere mea est.
Pingue solum minùs aptum est: vbere consita gl[illegible]
Vitis luxuriem palmitis vda dabit.
Multa tibi veniet cumulatis vua racemis:
Amne minùs valido pressus Iaccus erit.
Dolia replebit pressis vindemia prælis:
Exiguus pleno è palmite census erit.
Hæc tu vina bibas Leo cùm furit ignibus, & cùm
Torridus æstiuo sæuit ab igne Canis.
Sicca tibi tellus generosi munera Bacchi
Sufficiet: lymphâ hoc frangere disce merum.
Sint quoque quæsiti colles ad dona Lyæi:
Læta venit modicis vitis adulta iugis.
O quàm dulce rubet, flauoque nitescit ab auro,
Quæ Solis liquidam sensit aperta facem!
Tu tamen emerito solers incumbe labori:
Sollicitum vitis cura reposcit opus.
Illius veniant tibi tempora certa colendæ,
Vimineos nexus addere sisque memor.
Illam siue tenet teneris complexibus vlmus;
Illam populeus siue maritat amor;
Seu stipes tereti sustentat germina trunco;
Seu teneram sicco termite fulcra regunt.
Neue sinas illam terris errare caducam.
Repit iners? fructus indiga vitis erit.

Quid

Quid deses ferro parcis? da vulnera ferro:
Succidi ferri cuspide palmes amat.
An vitem lacrymare doles? tibi gaudia fletus
Hic dabit: vberior flebilis humor erit.
Apta tibi veniet non omnis potibus vua:
Hæc etenim præbet pocula, & illa dapes.
Sitque Apiana tibi mensarum nobilis esca:
Duracinæ egregiam prouocet esca famem.
Quæ durare queat, tignis stet pensilis altè:
Hæc tibi læta dabit munera tristis hyems.
Humoris nimij grauidam, mustique feracem
Supponas prælis; hinc tibi vina fluant.
Heu quàm multiplici censentur dona Lyæi
Nomine! quàm vario munere pota sitis!
Cæcuba nil memorem, nil Massica, nilque Falerna:
Turpè bibax peregrè quærere luxus amat.
Corsica quæruntur: Cretensia vina per æquor
Vecta placent, & quæ Gallia clara dabit.
Non impunè tibi, dederis quæ vulnera, Vitis
Ire sinet: pœnas vina repôsta fouent.
Ingemuit ferro vitis succisa? parentis
Eliciet lacrymas vltor ab ore merum.
Vua tuis fluxit pedibus calcata superbis?
Et memor illa tuum deprimet amne caput.
Illam crebra diu præli vertigo rotatu
Versat? te in morem turbinis illa rotat.
Cerne etiam vario quàm sint quæsita sapore;
Quàm vario, cernas, vina colore placent.
Nectareum probat ille bibens & molle lyæum:
Qui potator erit, mollia vina fugit.
Acriùs alter amat mordentem labra liquorem:
His sine cuspidulis languet in ore latex.
Hanc

Hanc mihi propinas vappam scelerate minister!
Vin'tuus in saua hæc pocula sanguis eat?
Hinc abi, & annosū properes mihi ferre quadrimū,
Fortia quæque magis tempora vina rotant.
Siccus adhuc sitio: lacrymas effunde rubentes,
Et quæ Græca meus vina Vesenus alit.
Pevè nato Bromio generoso: prome liquores
Pausilypi exiguos; sed natet amne calix.
Vina probant alij non quæ dedit altiùs vua
Pressa pede, aut prælis excipienda lacu;
Sed quæ spontè fluunt congestis molliter vuis,
Virgineas lacrymas quasque vocare solent.
Cerne nefas! illis nomen tribuêre pudicum,
Quarum haustu turpis gliscit ab igne Venus.
Sæpe etiam appenso concluditur vua cucullo:
Hinc lento stillat puriùs amne merum.
Nam quid ego referam tenuatos igne liquores,
Vitea queis vulgò nomina fecit aqua?
Per tormenta vitri, subiectis ignibus, humor
Defluit: ardenti non minor igne liquor.
Ne noceat, placeatque magis potantibus haustus;
Dulcia lenibunt sacchara cocta focis.
Heu miserande pudor! quæ incendia sæua ministrat
Hic liquor! in lymphæ nomine flamma latet.
Nunc me, Phœbe, doce Bromij quæ damna liquoris
Haustûs habet: Bacchi quid iuuat amne latex.
Vestra senes agitur res: hoc viget amne Senectus:
Lac erit hoc vobis, sanguis & alter erit.
Sed seruare modum deceat: potanda Senectus
Est modicè; immodicus noxius haustûs erit.
Languescit calor in senibus: robusta Falerna
Pota senum vires largiùs amne necant.

Non

Non ego vos iuuenes his fraudo potibus; in me
Vester ne sæuus concitet arma furor.
Sed nolite nouas natiuis addere flammas:
Vritur immodico pota Iuuenta mero.
Frangite, quæ bibitis, Baccheia pocula lymphis;
Nam vinum exigui roboris esse decet.
Parciùs hausta iuuant pressis bona vina racemis;
Mæror abit; lætus constat in ore rubor.
Et potata mero languentia membra valescunt,
Et viget epoto vitis ab amne calor.
Fortè etiam vitem vini dixere parentem;
Quòd vitam dulci munere vitis alat.
Tu tamen, vt prosint, moderatis vtere donis:
Sic veniet liquido munere tecta salus.
Si potanda tibi genorosi pocula Bacchi;
Temperet egelidus torrida vina latex.
Est miscere mero priùs vtile munera lymphæ;
Fortia sic venient robora pressa magis.
Sed si fortè tibi nullius roboris haustûs
Vini erit; abstineas amne necare merum.
Flamina sæua parit:stomacho nocet:humida gignit
Damna;est ebrietas conciliata magis.
Sint citò nulla tibi post prandia sumpta Lyæi
Pocula, vel cœnam: crudus ab amne redis.
Sed, bene concoctis dapibus, te proluat haustûs;
Non tibi tunc vini noxius haustûs erit.
Tu quæcunque bibas ieiunus vina caueto:
Et cerebrum, & neruos lædere vina queunt.
Quòd si quando suos fructus Pomona ministret,
Nil renuo; cyathis fortius adde merum.
Quis stupor est vario simul indulgere lyæo?
Fit simul his varijs haustibus ægra salus.

Nonne aliàs monui, vexat quos dira podagra,
Non secus ac illis vina venena fore?
Quos latus excruciat, queis calculus ilia mordet;
Exulet arenti vitis ab ore latex.
An noceant tibi pota magis, quæ vina rubescunt,
Alba vel inquiris? sedulus aure vaca.
Est spectanda tibi placidi clementia Cœli;
Consule & ætatis tempora; pende plagas.
Mite cupit Cœlum tenuis sibi pocula Bacchi,
Et tenues potûs aridus æstus amat.
Temporibus medijs medij sint dona Lyæi:
Massica brumali tempore vina libas.
Rubra decent senium languescens: lactea dona
Vina seni: at seruet pota senecta modum.
Quid tibi cum validis cyathis robusta Iuuentus?
Alba decent, minimo robore vina decent.
Nunc mihi carpendi crebri sunt palmitis haustûs;
Et malè vinosos carpere carmen amat.
Ah pudeat, cyathos innumeros mea Musa referre,
Quos gelido exhaustos Vrsa sub axe videt.
Quisque pares mensæ socios compellat ad haustûs,
Propinare licet; vina negare, nefas.
Vsque reuoluuntur cyathi: potatur in orbem;
Vina bibunt donec spumet in ore liquor.
Pocula nec finem ponent, nisi pocula mentem
Abstulerint, demens armet & ira manus.
Tunc inopes mentis socialia vulnera miscent,
Et claudunt sumptas, cæde, cruore, dapes.
Effusoque litant furiali sanguine Baccho,
Perque fluit potum vulnera aperta merum.
Vsque bibax Bromij cucumis, peponesque Lyæi;
Et mala lethifero dolia plena mero.

Anseribusque pares, nunquam sicco ore; sed illis
Ore latex; vobis vina refusa natant.
Sit modus ô cyathis! quis detrimenta Lyæi
Turpia commemoret? facta reuolue memor.
Mente diu sanâ, gurges quondam ille Britannus;
Ad Bacchi euasit pocula mentis inops.
Instabat fatum: potuit producere vitam,
Parciùs epotum si foret ore merum:
Maluit ille tamen bene potus fata subire,
Sobria quàm vitæ tempora ferre diu.
At mala quæ potas potando largiùs audi;
Noxia morborum plurima damna bibis.
Detrimenta bibis nodosæ dura podagræ,
Deflua de cerebro larga fluenta bibis.
Ebibis & laterum sæuo mucrone dolores;
Ne tibi stare queant membra caduca, bibis.
Et tibi pota creant amentes vina furores;
Ludibrium, lusus, sibila, probra, iocos.
Et tua iacta forent incaßum tela Cupîdo:
Nec tam sicca tuis ignibus esca foret,
Si Bacchus tibi vina neget. fremit ira Lyæo
Adiuta, & rabies fræna soluta dabit.
Nonne vides alios, non morbo intercutis vndæ,
Sed vino tumidos corripuisse dies?
Rore furens Macedo fœdauit gesta Lyæi:
Fœdera amicitiæ polluit ille mero.
O si prisca Orbi Græcorum iussa redirent!
Nonnisi ter, modicè vina bibenda forent.
Pocula prima sitis sibi sumat; grata voluptas
Postmodo: lætitiæ tertius haustûs erit.
Fœda lues hominum! centum nunc haustibus vnum
Sufficiße ferunt: dolia venter erat.

Hic

Hic cyathus Regi; Reginæ congruit alter;
Ne vacuus Cyathis Regis amicus eat.
Pocula perque Duces alios, summosque Dynastas
Vsque meant; donec compleat ille vices.
O morere! & tumulus versu hoc in fronte notetur;
Nempe: Merum iacet hîc: dilue tu lacrymis.

DE CHOCOLATE.

INdorum felix regio, tellusque beata,
Omnigenæ quouis tempore diues opis.
Irrigat auratis te Ganges diues arenis:
Educat auriferos terra repôsta sinus.
Indigenas Cælum tibi ventis perflat odores:
Frugis odoriferæ munera fundit humus.
Cinnama rura ferunt; rorantia balsama siluæ:
Arbor odorati pignora thuris alit.
Et domitura necem flauis rheobarbara succis,
Et casiæ tellus dona nigrantis habet.
Educat & piper, & redolentis munus amomi:
Debita funeribus myrrhea dona fouet.
Fert ebur, atque ebenum, varium sortita colorem:
Frons ebeni noctem; gestat eburna diem.
Mittit & ex coccho teretes, pia munera, baccas,
Queis homines flectunt ad sua vota polum.
Morborumque creat domitores terra lapillos;
Sola venenatis prompta medela malis.
Mittit Erythræo collectas littore gemmas:
Quasque tulit Ganges, quas tulit Inda thetis.
Cætera nil memorem: carmen definit Apollo,
Meque iubet, certo limite ferre pedes.

Materies mihi laudis erunt noua pocula, tellus
Messica qua gratis haustibus vna liquat.
Musa mihi memora constet quo puluere massa:
Sorbile quo terræ munere constet opus.
Prima tibi massæ glans fundamenta ministrat:
Quæ tibi sint glandis nomina tecta velim.
Hanc tibi ne reddat glacies natiua nocentem,
Temperet, immissis frugibus, igne calor.
Gignitur arboreis glans hæc vberrima ramis,
Paruaque sub tenero cortice tecta viret.
Cùm carpenda venit, nullo duretur ab æstu:
Seposito siccet leniter vmbra loco.
Contere siccatam crebro, tunsamque resolue,
Attriti donec pulueris instar erit.
Inde piper misce contritum, vellicet ora
Vt piper, & grato mordeat amne liquor.
Adde peregrinum, quamuis non largus, amomum:
Huius odorati pulueris aura placet.
Heu fuge adulteria, & fœdarum crimina rerum:
His corrupta dolis pocula pota nocent.
Ingere pulueribus necnon & sacchara: libum
Hoc veluti duro glutine molle coit.
Misce etiam frondis peregrinæ germen odorum,
Quasque sinu siliquas Indica terra tulit.
Hinc attrita nimis, motu & reuoluta perenni,
Massa dabit, solidi glutinis instar, opus.
Ista dein varias sumet concreta figuras,
Plurima quæ lateres massa coacta refert.
Ne te multa nimis formarum cura moretur,
Quære sed ingenuæ sedulus artis opus.
Si fucata dolis nullis tibi munera constent;
Æmula nectareis pocula grata bibes.

Hæc

Hæc matutinos meliores seruentur in vsus:
Pocula Palladiæ robora mentis alunt.
Ingenijque labor felix sua pensa reuoluet:
Igneus epoto gliscet ab amne vigor.
Dicite vos Cœli præcones, nuncia rostris
Vox sacra, progenies plectere nata nefas;
Hoc quoties haustu tenuatæ robora vires
Sumpsere, & valido est lingua refecta sono?
Vidi ego cui exiles orandi ad munera vires,
Et foret in tenui languidus ore vigor,
Hoc animâsse sonos potu, vocemque labantem
Fulmineis similem mox tonuisse minis:
Pectoris angustos haustu laxâsse meatus,
Et sumpsisse notum robur vtrumque latus.
Eloquij artifices sacri, qui oracula Diuûm
Panditis, & rectas fertis ad astra vias;
Indica quæ vobis haustu dat terra salubres,
Illa salutarem iure reposcit opem.
Vestra rogat, lacrymosa genas, pia munera vocis;
Rore iuuat; sacro rore iuuanda venit.
Ne ferte officijs vinci: data munera lymphæ,
Ætherias mereant vestra per ora faces.
Sed iam carmen amat postremum absoluere pensum:
Cætera quæque ferat lucra referre latex.
O quos assiduæ vos tussis anhelitus vrget,
Auraque difficilis lassa per ora meat:
O queis ferre dapes stomachus languore recusat:
Et quibus est impar ad sua vota calor:
O rabidi lapidum queis stringunt ilia morsus,
Perque latus sese spinea cuspis agit:
Pæonia hinc vobis sunt pharmaca sana petenda:
Haustûs Apollineam vincere gestit opem.

His ego cùm premerer nullo non tempore morbis,
Et properè tumulum posceret ægra salus;
Continui sumpto nutantem rore salutem,
Extinxique dabat quas libitina faces.
At retrahenda manu mihi sunt data lora quadrigis,
Nec datur effusis addere calcar equis.
Haustûs eget creber locupleti, & diuite censu,
Quas mihi paupertas indiga carpsit opes.
His liceat crebro medicatis pocula lymphis
Sumere, quos diti munere census alit.
Intermissa diu sunt hæc mihi dona petenda,
Parca nimis, vili puluere, fœta dolis.
Sed quæ dira (nefas) potandi crebra cupîdo
Vexat inexpletam nocte, dieque sitim!
Transit in immodicos potûs malè versus in vsus:
Sicca diu his nunquam potibus hora vacat.
Hæc incocta focis oriens aurora ministrat:
Summa dies habet hæc pocula, sera dies.
Vsque domi positas onerant hæc pocula mensas,
Vectaque sollicitant pigra per ora sitim.
Seu ludicra tenent, teneant seu mæsta theatra,
Seu data fœmineos exhibet aula choros:
Irrequietus agit volucrem se potûs in orbem,
Et nouus in gyrum proluit ora liquor.
O quæ fictilium crescit studiosa supellex!
Vana quot innumeris vasa reperta modis!
Hos etiam argentum liquidos formatur in vsus:
Sorbilis ex auro pocula luxus amat.
His niueo durata gelu, tenuique pruinâ:
His decocta focis pocula sumpta placent.
Innocuos haustûs corrupit fœda voluptas:
Quoque iuuanda foret, mergitur amne salus.

Sit modus, occiduis nè qui venit haustus ab oris,
Vitæ præproperos obruat ille dies.

DE POTIONE vulgo *Sorbetta.*

O Vbi nunc melior sæclorum prisca vetustas!
O vbi nunc ætas aurea culta priùs!
Luxus erat nullus, solidos qui frangeret annos:
Qui tereret luxus corpora nullus erat.
Candida tunc fuerant Naturæ munera: nullæ
Mistæ epulæ, nullus potûs adulter erat.
E gelidis puri veniebant amnibus haustus,
Puraque de riuis terserat vnda sitim.
Delicijs nunc blanda nouis operata voluptas,
Inuida synceras ore relegat aquas.
Nec data sufficiunt spumantia pocula Bacchi,
Longa nec annosis vina repôsta cadis.
In medicata ruit peregrinis pocula lymphis:
Thracia Barbaricis quæritur vnda plagis.
O quàm multiplici censentur nomine potûs!
Nomine quàm vario decoquit ignis aquas!
Leniter incoctis cerasis hæc mordet amaris
Potio, quam dulci sacchara rore tenent.
Hic rubet infusis siccatis solibus vuis
Potus: Lenæo concolor amne liquor.
Ardet ab immisto, multoque rubescit amomo
Lympha alia, & stomachi torrida robur alit.
Pocula sume libens, rubris ardentia fragis:
Quæque ligustra fouent pocula, sume libens.

Quid refugis, quos grata tenent limonia mala
Haustûs? nullus erit gratior amne latex.
Cætera præteream medicatis pocula succis:
Musa referre decus sorbilis amnis amat.
Hac prior inuenit Thracum sæuissima tellus,
Barbaricusque dedit mitia dona furor.
Effera gens hominum, crudelia nomina, Thraces,
Dulcè laboratis ora rigatis aquis.
Vos aconita decent letheis mista cicutis;
Quæque venena sinu Colchica terra fouet.
Barbara quæ geritis, saturataque pectora felle,
Vos decet emeritas felleus amne latex.
Hanc etenim Thraces componunt vnguine massam,
Flaua velut clausis mella repôsta cadis.
Materiem succis, & odorâ fruge refertam,
Ad sitis illicium, sorbile munus alit.
Saccbara miscentur lentis decocta caminis,
Quique nocens virus frangere puluis amat.
Pressa suos addent limonia mala liquores:
Addere se succis cinnama odora queunt.
nde vbi constiterit decreta ad pocula massa;
Iam tibi confectum sorbile constat opus.
Nunc condisce modum, gelidos quo temperet haustûs,
Atque eat in tenerum dulcior vnda gelu.
Stamnea vasa para, viuis qui paupere censu,
Et leuis exiguas arca recondit opes.
At tibi cui censum locuples fortuna secundat,
Argento constent vasa replenda manu.
His tereti crescat tenuato lamina gyro,
Vt coëat niueo cana pruina gelu.
Assurgatque breui, sed lato lamina collo,
Vt faciles haustu lympha ministret aquas.

Sed iam rumpe moras, puroſquè infunde liquores:
Colla tamen latices ne ſuper ire queant.
Dulcia concretæ mox corripe fragmina maſſæ,
Quæ priùs infuſas temperet intus aquas.
Attritamque manu ſoluas, penituſque ſolutam,
Accipiat patulo purus ab ore latex.
Adde niues circum contritas; ingere miſtum
Sal niuibus: tenerum mox dabit vnda gelu.
Extrahe concretam mellito è fonte pruinam;
Expleat hybernus vitrea vaſa latex.
Stat niue candidior potûs: concreta bibendas
Creditur in gelidas vnda migrâſſe uiues.
O ſi quem præfert candorem lympha niualem,
Hauſtibus è niueis corda referre queant,
Et quo ſacchareo dulceſcunt ora liquore,
Epoto! ingenium mitius amne foret.
Ora tamen gelido quamuis fons irriget hauſtu;
Torret Acidalius pectora fœda calor.
Heu Pudor vſque ſiti quid pocula blanda miniſtras?
Sicca quid aſſiduus prouocat ora liquor?
Haud aliter ſitiunt torrentes fèbris ab æſtu:
Saucia ſic properat pellere cerua ſitim.
Vna tamen mortale genus non corripit æſtu;
Vna nec exurit pectora dira ſitis:
Vrit inexpletùm ſitis auri: ſæua cruoris;
Sæua Cupidineo flagrat ab igne ſitis:
Inuida corda ſitis ſuccendit; turgida faſtu
Pectora, deſidiâ corpus, & igne gulam.
Hos tu multiplicis reſtinguere criminis æſtus
Si cupias; Mortis mente reuolue gelu.

DE

DE TABACI puluere.

PRob Superi ! quando vani solertia luxus ,
Et labor insipiens ponet in Orbe modum ?
Delicijs intenta nouis noua monstra voluptas
Inuenit, atque artes elicit vsque nouas.
Inuenisse nouas epulas;noua liba palato,
IntinEtuque nouo sollicitâsse gulam :
Non satis irritâsse nouis concentibus aures ,
Atque fides modulis erudijsse nouis :
Atque nouas oculis pictas monstrâsse figuras ,
Pingendique nouis luxuriâsse modis :
Ad nasos etiam deuentum nec satis illos
Imbuere Assyriæ frugis odore placet:
Sed patulos etiam,nullo non tempore, gaudet
Pulvereâ pastos exaturare dape .
Nos miseros ! nasis obsonia fœda paramus ,
Et de contritâ pabula fronde damus .
Est quoddam in cãpis,Thracumque noualibus ortũ,
Frondiferæ notum stirpis ab arte genus .
Surgentem caulem foliorum pompa coronat,
In folijs passim stiria multa viret .
Innocuam, sanctamque vocant cognomine frondem:
Germina quæ potiùs tartara ditis alant .
Hanc herbam Nasamon primus conseuit in agris ;
Nullo hæc agricolis herba serenda solo .
Ista leuis pinguem nasis dedit herba saginam,
Fœdauitque nouo turpiter ora luto .
Emunctæ iam naris auet quicunque videri ,
Et malè mucosas fundere naris opes.

Quàm

Quàm vigili curâ hanc frondem, studioque reponant,
Lingua locuturis non satis vlla modis.
Consita vt hæc primùm nasis adoleuerit herba,
Et patulâ è culto germine fronde viret;
Lecta manu, vel vulsa leui succiditur vngue,
Vel curuâ facilis falce resecta cadit.
Hinc tenuata diu lentâ siccatur in vmbrâ;
Dum folia exucco germine dura rigent.
Leniter arentem mortaria tunsa resoluunt:
Tunsaque puluereas accipit herba notas.
Cerne nefas! etiam redolet quæ nomine sancta,
Tunditur, & diris pinsitur herba modis.
Nec ferat in plantis sanctum gens barbara nomen:
Sitque odio pietas ipsa vel in folijs.
Puluereo totus iam sorduit Orbis ab imbre,
Et sibi per gentes plura tributa facit.
Excitet infartis vt fœda tonitrua nasis,
Vndique puluercam cogitur in nebulam.
Deuocat ingestus mucosum nare liquorem
Puluis, & irriguis inficit ora notis.
O si difflatus volitâsset in æquora puluis,
Et super iniectis obrutus esset aquis!
Quis ferat hanc labem probus amplius? inficit aras,
Et sacras ædes corripit ista lues.
Nonne vides quòd rite nitens in veste Sacerdos,
Sordibus hoc fœdo puluere sacra litet?
Dumque litat, peragitque sacrũ, tremebundus ad arã
Truncandis tritum naribus haurit olus.
Fulmineas immitte faces Cœlum: ignibus vre
Puluere cum toto stirpis vbique genus.
Nullus peste locus vacat huius pulueris: vlla
Puluere non isto temporis hora vacat.

Siue

Siue domi recubent, seu mensis fercula ponant;
Seu fessa in noctem membra sopore leuent;
Vascula plena gerunt contriti pulueris: haustu
Pulueris ingesti perpete naris hiat.
Vsque litos videas labe hâc sordescere nasos;
Et malè limosæ fæcis olere situ.
Ac si sub prælis plueret vindemia pressis,
Depluit emunctæ luridus imber aquæ.
Turpè litum fædo conspergitur vnguine mentum:
Puluereis videas oblita labra notis.
Deciduus de nare latex latè occupat ora,
Oraque deciduum sæpe adaperta bibunt;
In vestes etiam pestis diffusa rubescit:
Puluereo totum pectus ab imbre madet.
Inque sinus etiam fædè diffunditur imos:
Corpora ab insperso puluere tota rubent.
Hoc Superi prohibete nefas: mala semina plantæ
Perdite, & auctorem plectite supplicio.
Ista (malum) quæ nasi est portentosa vorago!
Gurgite quæ fædo naris hiulca patens!
Quæ tonitru horrificum pariunt tormenta fragore,
Haurire haud tantum pulueris æra queunt.
Emptor, adi locuples plenas hâc merce tabernas:
Vna tibi nec sit capsa voluta manu.
Pyxidas inuenies numeroso, ac diuite censu,
Quæ varij condunt pulueris intus opes.
Pulueris hæc tunsi nimium, nimiumque soluti
Intus sepositi munera pyxis habet.
Leniter attriti tenet altera munera pyxis;
Granaque arenosi pulueris instar erunt.
Hic tibi syncerus, nulloque infectus odore,
Pinsitus è puro germine puluis erit.

Alter erit redolens totum medicatus Eoum;
Cuius ab attactu plurimus halat odor.
Proh quibus immistæ fœdatur puluis odoræ,
Pinsitus è varijs frugis adulterijs!
Huic medicatus odor grati miscetur anisi,
Quod mage odoratum Cretica terra tulit.
Alter puluis olet, medicatâ fronde, satiuum
Fœniculum: luscis afferet emptus opem.
Ille iesеminum, seu notâ fronde ligustrum,
Leniter, immisto germine, puluis olet.
Ambaris, & moschi immisti dabit alter odorem;
Quem vitat censu paupere tristis inops.
Ne fuge pulucreâ commistum fronde rosarum:
Est minor huic census, maior at inde salus.
Proh pudor! illi etiam nomen fecere puellæ:
Gratior hic molli nomine puluis erit.
Hactenus in vario deductum puluere carmen;
Qualis & immistis frugibus halet odor.
Nunc operosa nimis strophiorum lauta supellex;
Commoda tergendis naribus, arma, vocat.
Candida tela priùs fuerat satis apta labori,
Pulueris & fœdis terserat ora notis:
Sed postquam maculis visæ sordescere telæ,
Et semel impressas vsque referre notas.
Inuenere vias alias; noua lintea luxus
Attulit, vt tegeret crimina puluerea.
Purpureis variata notis, filoque rubenti,
Texta peregrinus lintea misit Arabs.
His purges quamuis nares, iterumque repurges,
Mucosi nullum pulueris extat opus.
Signa color similis tegit: his emunge frequenter;
Stiria de naso ne tibi fœda fluat.

Hæc

Materies mihi laudis erunt noua pocula, tellus
Messica quæ gratis haustibus vna liquat.
Musa mihi memora constet quo puluere massa:
Sorbile quo terræ munere constet opus.
Prima tibi massæ glans fundamenta ministrat;
Quæ tibi sint glandis nomina tecta velim.
Hanc tibi ne reddat glacies natiua nocentem,
Temperet, immissis frugibus, igne calor.
Gignitur arboreis glans hæc vberrima ramis,
Paruaque sub tenero cortice tecta viret.
Cùm carpenda venit, nullo duretur ab æstu:
Seposito siccet leniter vmbra loco.
Contere siccatam crebro, tunsamque resolue,
Attriti donec pulueris instar erit.
Inde piper misce contritum, vellicet ora
Vt piper, & grato mordeat amne liquor.
Adde peregrinum, quamuis non largus, amomum:
Huius odorati pulueris aura placet.
Heu fuge adulteria, & fædarum crimina rerum:
His corrupta dolis pocula pota nocent.
Ingere pulueribus necnon & sacchara: libum
Hoc veluti duro glutine molle coit.
Misce etiam frondis peregrinæ germen odorum,
Quasque sinu siliquas Indica terra tulit.
Hinc attrita nimis, motu & reuoluta perenni,
Massa dabit, solidi glutinis instar, opus.
Ista dein varias sumet concreta figuras,
Plurima quæ lateres massa coacta refert.
Ne te multa nimis formarum cura moretur,
Quære sed ingenuæ sedulus artis opus.
Si fucata dolis nullis tibi munera constent;
Æmula nectareis pocula grata bibes.

Hæc

Hæc matutinos meliores seruentur in vsus:
Pocula Palladiæ robora mentis alunt.
Ingeniique labor felix sua pensa reuoluet:
Igneus epoto gliscet ab amne vigor.
Dicite vos Cœli præcones, nuncia rostris
Vox sacra, progenies plectere nata nefas;
Hoc quoties haustu tenuatæ robora vires
Sumpsere, & valido est lingua refecta sono?
Vidi ego cui exiles orandi ad munera vires,
Et foret in tenui languidus ore vigor,
Hoc animâsse sonos potu, vocemque labantem
Fulmineis similem mox tonuisse minis:
Pectoris angustos haustu laxâsse meatus,
Et sumpsisse notum robur vtrumque latus.
Eloquij artifices sacri, qui oracula Diuûm
Panditis, & rectas fertis ad astra vias;
Indica quæ vobis haustu dat terra salubres,
Illa salutarem iure reposcit opem.
Vestra rogat, lacrymosa genas, pia munera vocis:
Rore iuuat; sacro rore iuuanda venit.
Ne ferte officijs vincidata munera lymphæ,
Ætherias mereant vestra per ora faces.
Sed iam carmen amat postremum absoluere pensum:
Cætera quæque ferat lucra referre latex.
O quos assiduæ vos tussis anhelitus vrget,
Auraque difficilis lassa per ora meat:
O queis ferre dapes stomachus languore recusat,
Et quibus est impar ad sua vota calor:
O rabidi lapidum queis stringunt ilia morsus,
Perque latus sese spinea cuspis agit:
Pæonia hinc vobis sunt pharmaca sana petenda:
Haustûs Apollineam vincere gestit opem.

His ego cùm premerer nullo non tempore morbis,
Et properè tumulum posceret ægra salus;
Continui sumpto nutantem rore salutem,
Extinxique dabat quas libitina faces.
At retrahenda manu mihi sunt data lora quadrigis,
Nec datur effusis addere calcar equis.
Haustûs eget creber locupleti, & diuite censu,
Quas mihi paupertas indiga carpsit opes.
His liceat crebro medicatis pocula lymphis
Sumere, quos diti munere census alit.
Intermissa diu sunt hæc mihi dona petenda,
Parca nimis, vili puluere, fœta dolis.
Sed quæ dira (nefas) potandi crebra cupîdo
Vexat inexpletam nocte, dieque sitim!
Transit in immodicos potûs malè versus in vsus:
Sicca diu his nunquam potibus hora vacat.
Hæc incocta focis oriens aurora ministrat:
Summa dies habet hæc pocula, sera dies.
Vsque domi positas onerant hæc pocula mensas,
Vectaque sollicitant pigra per ora sitim.
Seu ludicra tenent, teneant seu mæsta theatra,
Seu data fœmineos exhibet aula choros:
Irrequietus agit volucrem se potûs in orbem,
Et nouus in gyrum proluit ora liquor.
O quæ fictilium crescit studiosa supellex!
Vana quot innumeris vasa reperta modis!
Hos etiam argentum liquidos formatur in vsus:
Sorbilis ex auro pocula luxus amat.
His niueo durata gelu, tenuique pruinâ:
His decocta focis pocula sumpta placent.
Innocuos haustûs corrupit fœda voluptas:
Quoque iuuanda foret, mergitur amne salus.

Sit

Sit modus, occiduis nè qui venit haustus ab oris,
Vitæ præproperos obruat ille dies.

DE POTIONE vulgo *Sorbetta.*

O Vbi nunc melior sæclorum prisca vetustas!
O vbi nunc ætas aurea culta priùs!
Luxus erat nullus, solidos qui frangeret annos:
Qui tereret luxus corpora nullus erat.
Candida tunc fuerant Naturæ munera: nullæ
Mistæ epulæ, nullus potûs adulter erat.
E gelidis puri veniebant amnibus haustus,
Puraque de riuis terserat vnda sitim.
Delicijs nunc blanda nouis operata voluptas,
Inuida synceras ore relegat aquas.
Nec data sufficiunt spumantia pocula Bacchi,
Longa nec annosis vina repôsta cadis.
In medicata ruit peregrinis pocula lymphis:
Thracia Barbaricis quæritur vnda plagis.
O quàm multiplici censentur nomine potûs!
Nomine quàm vario decoquit ignis aquas!
Leniter incoctis cerasis hæc mordet amaris
Potio, quam dulci sacchara rore tenent.
Hic rubet infusis siccatis solibus vuis
Potus: Lenæo concolor amne liquor.
Ardet ab immisto, multoque rubescit amomo
Lympha alia, & stomachi torrida robur alit.
Pocula sume libens, rubris ardentia fragis:
Quæque ligustra fouent pocula, sume libens.

Quid refugis, quos grata tenent limonia mala
Haustûs? nullus erit gratior amne latex.
Cætera prætercam medicatis pocula succis:
Musa referre decus sorbilis amnis amat.
Hæc prior inuenit Thracum sæuissima tellus,
Barbaricusque dedit mitia dona furor.
Effera gens hominum, crudelia nomina, Thraces,
Dulcè laboratis ora rigatis aquis.
Vos aconita decent letheis mista cicutis;
Quæque venena sinu Colchica terra fouet.
Barbara quæ geritis, saturataque pectora felle,
Vos decet emeritas felleus amne latex.
Hanc etenim Thraces componunt vnguine massam,
Flaua velut clausis mella repôsta cadis.
Materiem succis, & odorâ fruge refertam,
Ad sitis illicium, sorbile munus alit.
Saccbara miscentur lentis decocta caminis,
Quique nocens virus frangere puluis amat.
Pressa suos addent limonia mala liquores:
Addere se succis ciunama odora queunt.
nde vbi consliterit decreta ad pocula massa;
Iam tibi confectum sorbile constat opus.
Nunc condisce modum, gelidos quo temperet haustûs,
Atque eat in tenerum dulcior vnda gelu.
Stamnea vasa para, viuis qui paupere censu,
Et leuis exiguas arca recondit opes.
At tibi cui censum locuples fortuna secundat,
Argento constent vasa replenda manu.
His tereti crescat tenuato lamina gyro,
Vt coëat niueo cana pruina gelu.
Assurgatque breui, sed lato lamina collo,
Vt faciles haustu lympha ministret aquas.

Sed

Sed iam rumpe moras, puroſquè infunde liquores:
Colla tamen latices ne ſuper ire queant.
Dulcia concretæ mox corripe fragmina maſſæ,
Quæ priùs infuſas temperet intus aquas.
Attritamque manu ſoluas, penituſque ſolutam,
Accipiat patulo purus ab ore latex.
Adde niues circum contritas; ingere miſtum
Sal niuibus: tenerum mox dabit vnda gelu.
Extrahe concretam mellito è fonte pruinam;
Expleat hybernus vitrea vaſa latex.
Stat niue candidior potûs: concreta bibendas
Creditur in gelidas vnda migrâſſe niues.
O ſi quem præfert candorem lympha niualem,
Hauſtibus è niueis corda referre queant,
Et quo ſacchareo dulceſcunt ora liquore,
Epoto! ingenium mitius amne foret.
Ora tamen gelido quamuis fons irriget hauſtu,
Torret Acidalius pectora fæda calor.
Heu Pudor vſque ſiti quîd pocula blanda miniſtras?
Sicca quîd aſſiduus prouocat ora liquor?
Haud aliter ſitiunt torrentes febris ab æſtu:
Saucia ſic properat pellere cerua ſitim.
Vna tamen mortale genus non corripit æſtu,
Vna nec exurit pectora dira ſitis:
Vrit inexpletùm ſitis auri: ſæua cruoris;
Sæua Cupidineo flagrat ab igne ſitis:
Inuida corda ſitis ſuccendit; turgida faſtu
Pectora, deſidiâ corpus, & igne gulam.
Hos tu multiplicis reſtinguere criminis æſtus
Si cupias; Mortis mente reuolue gelu.

DE

DE TABACI puluere.

PRob Superi! quando vani solertia luxus,
Et labor insipiens ponet in Orbe modum?
Delicijs intenta nouis noua monstra voluptas
Inuenit, atque artes elicit vsque nouas.
Inuenisse nouas epulas; noua liba palato,
Intinctuque nouo sollicitâsse gulam:
Non satis irritâsse nouis concentibus aures,
Atque fides modulis erudijsse nouis:
Atque nouas oculis pictas monstrâsse figuras,
Pingendique nouis luxuriâsse modis:
Ad nasos etiam deuentum nec satis illos
Imbuere Assyriæ frugis odore placet:
Sed patulos etiam, nullo non tempore, gaudet
Pulvereâ pastos exaturare dape.
Nos miseros! nasis obsonia fœda paramus,
Et de contritâ pabula fronde damus.
Est quoddam in cãpis, Thracumque noualibus ortũ,
Frondiferæ notum stirpis ab arte genus.
Surgentem caulem foliorum pompa coronat,
In folijs passim stiria multa viret.
Innocuam, sanctamque vocant cognomine frondem:
Germina quæ potiùs tartara ditis alant.
Hanc herbam Nasamon primus conseuit in agris;
Nullo hæc agricolis herba serenda solo.
Ista leuis pinguem nasis dedit herba saginam,
Fœdauitque nouo turpiter ora luto.
Emunctæ iam naris auet quicunque videri,
Et malè mucosas fundere naris opes.

Quàm

Quàm vigili curâ hanc frondem, studioque reponant,
Lingua locuturis non satis vlla modis.
Consita vt hæc primùm nasis adoleuerit herba,
Et patulâ è culto germine fronde viret;
Lecta manu, vel vulsa leui succiditur vngue,
Vel curuâ facilis falce resecta cadit.
Hinc tenuata diu lentâ siccatur in vmbrâ;
Dum folia exucco germine dura rigent.
Leuiter arentem mortaria tunsa resoluunt:
Tunsaque puluereas accipit herba notas.
Cerne nefas! etiam redolet quæ nomine sancta,
Tunditur, & diris pinsitur herba modis.
Nec ferat in plantis sanctum gens barbara nomen:
Sitque odio pietas ipsa vel in folijs.
Puluereo totus iam sorduit Orbis ab imbre,
Et sibi per gentes plura tributa facit.
Excitet infartis vt fœda tonitrua nasis,
Vndique puluream cogitur in nebulam.
Deuocat ingestus mucosum nare liquorem
Puluis, & irriguis inficit ora notis.
O si difflatus volitâsset in æquora puluis,
Et super iniectis obrutus esset aquis!
Quis ferat hanc labem probus amplius? inficit aras,
Et sacras ædes corripit ista lues.
Nonne vides quòd rite nitens in veste Sacerdos,
Sordibus hoc fœdo puluere sacra litet?
Dumque litat, peragitque sacrũ, tremebundus ad arã
Truncandis tritum naribus haurit olus.
Fulmineas immitte faces Cœlum: ignibus vre
Puluere cum toto stirpis vbique genus.
Nullus peste locus vacat huius pulueris: vlla
Puluere non isto temporis hora vacat.

Siue

Siue domi recubent, seu mensis fercula ponant;
Seu fessa in noctem membra sopore leuent;
Vascula plena gerunt contriti pulueris: haustu
Pulueris ingesti perpete naris hiat.
Vsque litos videas labe hâc sordescere nasos;
Et malè limosæ fæcis olere situ.
Ac si sub prælis plueret vindemia pressis,
Depluit emunctæ luridus imber aquæ.
Turpè litum fœdo conspergitur vnguine mentum;
Puluereis videas oblita labra notis.
Deciduus de nare latex latè occupat ora,
Oraque deciduum sæpe adaperta bibunt;
In vestes etiam pestis diffusa rubescit:
Puluereo totum pectus ab imbre madet.
Inque sinus etiam fœdè diffunditur imos:
Corpora ab insperso puluere tota rubent.
Hoc Superi prohibete nefas: mala semina plantæ
Perdite, & auctorem plectite supplicio.
Ista (malum) quæ nasi est portentosa vorago!
Gurgite quæ fœdo naris hiulca patens!
Quæ tonitru horrificum pariunt tormenta fragore,
Haurire haud tantum pulueris æra queunt.
Emptor, adi locuples plenas hâc merce tabernas:
Vna tibi nec sit capsa voluta manu.
Pyxidas inuenies numeroso, ac diuite censu,
Quæ varij condunt pulueris intus opes.
Pulueris hæc tunsi nimium, nimiumque soluti
Intus sepositi munera pyxis habet.
Leniter attriti tenet altera munera pyxis;
Granaque arenosi pulueris instar erunt.
Hic tibi syncerus, nulloque infectus odore,
Pinsitus è puro germine puluis erit.

Alter

Alter erit redolens totum medicatus Eoum;
Cuius ab attactu plurimus balat odor.
Proh quibus immistæ fœdatur puluis odoræ,
Pinsitus è varijs frugis adulterijs!
Huic medicatus odor grati miscetur anisi,
Quod mage odoratum Cretica terra tulit.
Alter puluis olet, medicatâ fronde, satiuum
Fœniculum: luscis afferet emptus opem.
Ille iesſeminum, seu notâ fronde ligustrum,
Leniter, immisto germine, puluis olet.
Ambaris, & moschi immisti dabit alter odorem:
Quem vitat censu paupere tristis inops.
Ne fuge pulucreâ commistum fronde rosarum:
Est minor huic census, maior at inde salus.
Proh pudor! illi etiam nomen fecere puellæ;
Gratior hic molli nomine puluis erit.
Hactenus in vario deductum puluere carmen;
Qualis & immistis frugibus halet odor.
Nunc operosa nimis strophiorum lauta supellex;
Commoda tergendis naribus, arma, vocat.
Candida tela priùs fuerat satis apta labori,
Pulueris & fœdis terserat ora notis:
Sed postquam maculis visæ sordescere telæ,
Et semel impressas vsque referre notas.
Inuenere vias alias; noua lintea luxus
Attulit, vt tegeret crimina puluerea.
Purpureis variata notis, filoque rubenti,
Texta peregrinus lintea misit Arabs.
His purges quamuis nares, iterumque repurges,
Mucosi nullum pulueris extat opus.
Signa color similis tegit: his emunge frequenter;
Stiria de naso ne tibi fœda fluat.

Hæc

Hæc tibi si desint, bombycina tela paretur,
Ars quam multiplici docta colore notet.
His modo linteolis si quid tibi pulueris hæsit,
Admoneas foculis: siccus ab igne cadet.
Heu piget innumeras thecarum dicere formas,
Quas in condendo puluere luxus amat.
Artificum sudat thecis labor vsque nouandis,
Et varium semper cuditur artis opus.
Cælantur vultus hominum, vultusque ferarum,
Seque etiam monstris condere puluis amat.
Ista canem pyxis: pyxis dabit illa draconem;
Hæc tygris vultus, illa leonis habet.
Dant sua Syrenes necnon simulacra marinæ,
Felis & hoc etiam puluere plena tumet.
Nam quid commemorē reliquis data nomina thecis,
Quotque modis miris ludat ab arte labor?
Aspice multiplices, recipit quas theca figuras
Ex ebore, & varium quàm bene constet opus.
Hæ torno faciles, læues torquentur in orbes:
Tortilis in multis spira voluta sedet.
Assurgunt alijs pinnato vertice turres:
Has cochlea, aut spinis asper echinus habet.
Multæ in calceolos torno formantur eburnos:
Huic phialæ; huic galeæ bellica forma placet.
Munera in hæc etiam finguntur cornua capræ:
Munus & hoc etiam simia ficta dabit.
Dissita quos longe tellus dedit Inda lupinos,
Ars etiam exiguas pyxidas esse dedit.
Necnon castaneæ, quas educat vltima Thule,
Illicium triti pulueris intus habent.
Parua quoque & vilis desecta cucurbita falce,
Pulvereas, ferro concaua, condit opes.

Et murem videas, quem succina flaua figurant,
Puluereæ attritum condere messis olus.
Et quæ lenta gradu, & deses testudo mouetur,
His quoque pulvereis vsibus apta venit.
Necnon & ferrum præbet sua munera thecis:
Ferrea nam tritum fistula seruat olus.
Destinat artis opus necnon ad munera mortem:
Mors & arenosi pulueris vrna venit.
Namque laborato ex ebeno, puroque elephanto,
Mors etiam frondis ficta recondit opes.
O vtinam puluis, quem mors hæc ficta recondit,
Te memorem cineris redderet, & tumuli!
Decretasque tibi vicini funeris horas,
Non defecturis scriberet illa notis!

DE CHRISTO recèns nato.

Cede tuis, Aquilo, gelidis hinc flatibus: (hinc atque
Flatibus egelidis, Caure, recede tuis.
Flos hoc virgineus Bethlæo vernat in antro:
Cælite Iessæus vere renidet ager.
Triticeæ tellus Cereris nunc dona ministrat:
Cedat hyems: austri flamina perflat Amor.
Transtulit ætherius iam Sol in Virgine sedem:
O mihi quas spondet frugifer annus opes!
Iane fores ne pande tuas; iam fœdus Olympo
Iungitur, & dius bella relegat Amor.
Horruit Infantis gemitus latrator Anubis,
Territaque Ægypti Numina muta silent.

Re-

Regis ad imperium totus describitur Orbis:
Quàm felix orto Numine census erit!
Peruigilat tellus; Cæli ſtat peruigil orbis:
Otia nam natus languida damnat Amor.
Excubat & paſtor, ſomnoſque repellit inertes:
Hanc vigilis curam luminis Agnus amat.
Ad ſua paſtores diuinus munera Paſtor
Erudit: intentam poſtulat auris opem.
Se tegit vmbrarum tenebris, & nocte ſilenti,
Eludat ſtygios tectus vt arte dolos.
Ales Amor celeres ad prælia concitat alas:
Ocyor ad pugnas vrget ariſta latus.
Molleſcunt lacrymis durarum tempora legum,
Et vindex Cæli fulmen ab imbre madet.
Certa ſalus properat: properæ confide ſaluti:
Parta venit pennâ prepete certa ſalus.
Quæ circum volitat Puerum, rorantibus alis,
Temperat ardentes pectoris aura faces.
Imbre madent oculi, ferueſcunt pectora flammis;
Igneus effuſis imbribus ardet Amor.
O mea corda ſuper Cæleſtis depluat imber!
O me, Diue, tuis fletibus vnda riget!
Nulla ſuo Cypridis me flamma perureret æſtu,
Vreret & nullo Cypridis igne puer.
Non me terrerent iacientis fulmina dextræ:
Vincla manus nectunt: fulmen ab imbre madet.
Quæ religant artus ſoluent mea vincula noxæ:
Flebilis ex oculis diluet vnda nefas.
O quæ tela oculi iaciunt! quod vulnus amoris?
Edita dant teneris uerba ſoluta modis!
Inſere paſtorum te turbæ: ſcrupea præpes
Tecta ſubi: flexo poplite Numen adi.

Ora

Ora pedes lambant: supplex venerare iacentem:
Appressique oris flamine pelle gelu.
Ne patere officijs animantum & munere vinci;
Ille etenim calidis flatibus antra fouent.
Si qua latus tenerum Pueri malè lædat arista;
Hanc tu reflexâ cuspide frange manu.
Præripiant stipulæ quìd munera sæua cruentæ?
Hæc sibi seposuit munera sæua lapis.
Promere cur deses tu gaudia læta moraris?
Gaudia te lætum promere cuncta monent.
Exuit vmbra suos tenebrosæ noctis amictus,
Induit & lætos, luce nitente, sinus.
Addere & antiquis noua sidera gestit Olympus:
Sidera, quæ nati fœdera Solis amant.
Decurrunt liquido manantia flumina lacte:
Quercus & è duro cortice mella liquat.
Feruet hyems medijs aquilonibus: æstuat algens
Annus, & hyberno frigore bruma calet.
Arida squalentem tellus exuta senectam,
Vt suo det Nato gaudia, culta nitet.
Nuncia lætitiæ volitans leuis aura susurro
Adstrepit, & læto murmure corda ciet.
Inflatas pastor distendere gaudet auenas:
Vagituque rudes adsociare modos.
Aura cupit volucri vultus adlambere pennâ;
Infantis quamuis corruat vsta face.
Muta loqui tacitæ didicere silentia noctis:
Peruigil arrectâ perstitit aure sopor.
Vellera quòd nullus secuit doluère bidentes;
Optâssent secto vellere membra tegi.
Temporis exiluit cani longæua senectus;
Nempe suas Numen discit habere vices.

 Sol-

Sollicitæ trepidant quæ voluant pensa sorores:
Phrixeæ vellus vile videtur ouis.
Fusus erit nullus, tantos qui digerat annos;
Quæ neat æterno tempore, nulla colus.
Stant nutu decreta suo sibi tempora vitæ:
Iussa suum claudet funeris hora diem.
Ah rude ne pigeat tecti penetrale subire:
Neu pigeat tenuis tecta subire domus.
Quantus in exiguum successerit hospes asylum,
Innuit aligerum vecta per astra cohors.
Concinit en Superûm Regi præconia laudum,
Lætaque terrigenis fœdera lata canit.
Aurea Natus inops tibi sæcula promit Olympi,
Et læta irriguis fletibus astra parat.
Tartarei victor calcabit colla draconis;
Quassa cadent tenerâ tartara victa manu.
Eumenidum furiale genus, stygis horrida monstra,
Corripient celerem pressa pauore fugam.
Falsa superstitio, validis constricta catenis,
Prona triumphales corruet ante pedes.
Thuricremâ non vlla manu fumabit acerra:
Dediscent hominum Numina vana preces.
Et venerata diu solem Nabathæa propago,
Hanc colet exortam, quæ tulit vmbra diem.
En properat supplex duce sidere quærere Solem;
Sidera quæ nati conscia Solis erant.
Lucidior nox pura die, quem pandis eoum,
Et quibus ætheriis ignibus vmbra flagras.
Huius ab exorto ferueſcent igne triones:
Sentiet exortas Parrhasis vrsa faces.
Tergemini proceres, date nato munera Regi;
Hæc data nascentem munera vestra decent.

Ille suo vestrum transcribet nomen Olympo:
Vester & in dio munere census erit.
Quæsitum vobis dederunt noua sidera Solem;
Lucida Sol vobis sidera parta dabit.
Sed quò me proceres longè abduxere Sabæi?
Ipse etiam supplex munera sacra feram.
Corda dabunt meriti redolentis thuris honores:
Aurea cor, myrrhæ munera corda dabunt.
O quæ mira meis oculis se Numinis offert
Forma! meo quantus perstat in ore pauor!
Hiccine sunt oculi, tellus quibus acta tremiscit?
Hæc vox fulmineo grandiùs ore tonans?
En lacrymas oculi, didicerunt ora querelas:
Sustinet & mollis fortia vincla manus.
Illecebris ne fide tuis malè blanda voluptas:
Non dabitur laxâ soluere lora manu.
Numinis inijcient tibi duras vincla catenas:
Delicijs addet ferrea fræna rigor.
Cui non luxus iners, cui non cœnosa voluptas,
Spreta triumphatum subdet iniqua caput?
Auri dira fames, congesti cura peculi,
Nullus gemmarum corda peruret amor.
Virgo maritales spernet pulcherrima tædas:
Dotalis sponso Numine census erit.
Ora color nullus fœdè fucabit adulter;
Sola verecundus tinget & ora rubor.
Serica non diues tenuabit stamina bombyx;
Nec phrygiâ vestes consuet arte labor.
Membra rudis rigido vestis velabit amictu,
Et cinget tenerum lana cruenta latus.
Non vaga diffusi ludent per tempora crines:
Nec veniet multo nexilis orbe coma.

Aureus in sacrâ casus cadet æde capillus:
Et spolium victâ è Cypride crinis erit.
Nonne vides alios, exosos vrbis honores,
Hospita siluarum quærere tesqua feris?
Indidit hanc mentem natalis Numinis ortus:
Magnanimis ausis hæc Puer orsa dedit.
Hîc ego cur sileam nemoris te maxime cultor,
Edis vaticinos qui puer ore sonos?
Afflauere priùs te nati Numinis ortus:
Te priùs ætheriæ corripuere faces.
Non secus ac sonipes, cui foderit ilia calcar;
Quò te rura vocant dumea, tendis iter.
Non tua mollis obit sinuoso vestis amictu
Membra, nec vrbano vellere culta nitent.
Dura sed hirsutis horrentia tegmina setis,
Perfodiunt hirtâ cuspide molle latus.
Vnda sitim pellit currenti vitrea riuo:
Siluestres præbent aspera mella dapes.
Necnon & tenues sociant data mella locustæ;
Hæc longam releuant fercula dura famem.
Quid vigiles memorem ductas per frigora noctes?
Parca quies; nudo in sidere saxa torus.
Hæc tua, magne puer, virtus fundamina ponit:
Quàm celsum modico tempore culmen erit!
Te solare iubar Iessæum, phosphoron ambit;
Te lustrante sacrum proluet vnda caput.
Illius in laudes nemorum resonare recessus,
Æthereasque dabis corda tenere vias.
At qui sanguineus bacchatur in vbera turbo?
Quis furor infantum cæde cruentat humum?
Natali sic, Diue, tuo noua funera tellus
Sæua parat? fato præcoce vita cadit?

La-

Lactentum iam cuncta natant cunabula cæde:
Sustinet immeritas turba tenella neces.
Lictorum furiosa cohors fera tela ministrat:
Irritat iussas fletus ad arma manus.
Caduntur teneri vibratis ensibus artus,
Sanguineoque rubet lacteus imbre liquor.
Edere natales quæ nescit turba querelas,
Cæsa sepulcrales promit ab ore sonos.
Vix prior afflârat materni luminis ortus,
Et rapit exortam funeris vmbra diem.
Infantum laniata cadunt in fragmina membra:
Lactis egens largo turba cruore madet.
Flebilis amplexu suboles malè tecta parentum
Excipit in medio tela retorta sinu.
Brachia dant miseris funestum nexa feretrum:
Fit modò qui peperit funebris vrna sinus.
Si qua tamen tenuit valido luctamine natum,
Luctando tenuit frusta resecta manu.
Irrita cura cadit pueros texisse latebris:
Prodita vagitu est inscia turba suo.
Obiectu generosa paras quid sistere ferrum?
Per tua, mœsta parens, brachia quæret iter.
Improbe Rex, tenerum iam fundere parce cruorem:
Nil profecturus spargis inique solum.
Astus & insidiæ incassum cecidere dolosæ;
Hoc erit effuso sanguine tecta salus.
Nuncius ætherijs ales demissus ab astris
Edixit tacitam nocte silente fugam.
Niliacis iussit profugos consistere terris;
Dia iterum donec iussa redire monent.
Exere Nile caput: cæcas dedisce latebras;
Cerne tuis quantus se tegat hospes aquis.

Quid Cretam texisse Iouem mendacia iactent?
Maius erit tecto è Numine, Nile, decus.
Amissum lacrymata bouem Memphitica pubes
Damnabit querulos læta per arua modos.
Territa prona ruent Ægyptia Numina culta:
Apidis haud vllum flebile Numen erit.
Cernis eant aduersa polo quantum irrita vota?
Elusa vt vanis cædibus ausa cadant?
Nil nece sanguineâ Rex profuit: erutus Infans
Sospes: carnificem fata cruenta manent.
At vos ætherij vêris pia germina, flores,
Quos secuit diro Regius ense furor;
Ver vbi perpetuum florentibus enitet astris,
Iugiter æterni Numinis aura beat.
Dona tulit maiora furor, cædesque tyranni,
Quàm qui maternus munera fudit amor.
Præbet amor casura breuì, & citò fluxilis æui
Tempora, inocciduos præbuit ira dies.
Infanti vos cæsa Deo grata hostia præcox,
Parta triumphali sanguine palma decet.
Puniceas sine sente rosas infertis Olympo,
Horrida quas sæuo turbine vexit hyems.
Felices animæ, properi queis funeris hora
Æternum reserat Numinis ore iubar.
Prærepti non matris alent vos munera lactis;
Munere sidereo semita lactis alet.
Hæc tibi nascenti meritò cadit hostia, Numen:
Candida te infantum candida dona decent.
Primitias infans infantum deligis insons:
Insontum agnorum purior Agnus amas.
O qui Diue tuâ natali luce serenas
Noctem, natali nubila pelle die.

DE CHRISTO Circunciso, Nomineque Iesu illi imposito.

DIue, tui pupugisse latus nascentis aristis,
Vulnera nec stipulis parua tulisse satis;
Ferre tuus mage dura cupit dij æstus amoris,
Ærumnisque modum ponere nescit amor.
Ardet inexpletùm vis pectoris: ignea gliscit
Fax cordis: fletus non satis vnda siti.
Nempe tua ex lacrymis maior tibi flamma valescit:
Aucta magis fusi sanguinis optat opem,
Ne properes vrgere tuas Puer inclite pœnas:
Dura per absistas tendere saxa vias.
Quæ rubet exiguis pressa hæc vindemia prælis,
Sub trabe quadrifidâ largior amne fluet.
Te iuuenem grauiora manent data pensa laborum:
Indiga pœnarum non erit vlla dies.
Sed quæ oculis obiecta meis noua mõstra recurrunt?
Quæ data luminibus mira tuenda meis?
Aspicio te ferre notas, probrumque parentis,
Quodque luunt merito vulnere saxa nefas:
Hæc venit immeritis membris inflicta cicatrix:
Corripuit mentem nulla paterna lues.
Has decuit perferre notas, & signa cruenta,
Fœda quibus vitæ præbuit orsa parens.
An sceleri primæua feras indicta tributa,
Qui primi vindex criminis vltor eris?
Dedecet insontem pœnas perferre nocentum:
Per quem parta salus, signa referre necis.

Non sic pura micat, Cælo cùm fulserit Eos:
Alba minùs folijs cana ligustra micant.
Quæ fluit argento similis per gramina lympha,
Lympha tibi nitidum subdere visa decus.
Erubuere niues; stellati lactea Cæli
Semita candorem condere visa suum.
Sic te, Diue, iuuat nostræ indulgere saluti,
Per tua se vt nobis vulnera prodat amor?
Isacidum suboles, lapsu damnata paterno,
Quæ cunas fuso sanguine cæsa notas;
Sanguineos dediſce modos, tristesque querelas,
Quas grauis exacti temporis hora tulit.
Mitia voluentur durarum tempora legum:
Mollescet roseo saxeus amne rigor.
Non tua terrificus maculabit templa Sacerdos:
Non erit infantum sanguine tincta manus.
Primæuam sceleris labem leuis vnda piabit:
Sacra dabit, pulso sanguine, lympha vades.
Arescent lacrymæ: fundent nec membra cruorem:
Vita nec ancipiti vulnere tristis erit.
Pura dabit sine nube dies aurora serenos:
Inficiet nullus nubilus ora dolor.
Nata recèns Suboles suspiria prisca relinquet:
His erit vna lapis meta reperta malis.
Ad Superos patuit salebroso tramite gressus:
Ista dabunt faciles saxa per astra vias.
At tibi, Diue puer, quæ laudis adorea crescet!
Quantus ab imposito Nomine laudis honos!
Non hæc ima tibi Cælestia Nomina tellus:
Ales Olympiaco Nomen ab axe feret.
Hoc etenim Genitor iamdudum mente repôstum
Iusserat omnipotens Nominis esse decus.

Ecquis

Ecquis erit, tantum qui Nomen laudibus æquet?
Qualibet emeritis ausa minora forent.
Hoc data terrigenis certæ pia dona salutis,
Et stygia hoc dio Nomine pulsa lues.
O quàm dulce sonat repetiti Nominis aura!
Mellea nectareis imbuit ora sonis.
Molliùs effuso decurrit Nomen oliuo:
Lenia decurrunt balsama fusa minùs.
Vere nouo tellus tales non perflat odores:
Nec par Eois frugibus halat odor.
Non vocale melos sic dulcè allabitur aures:
Non sic permulcet melleus ora liquor.
Illius allapsu dulcedine corda liquescunt:
Occupat allapsu pectus & alta quies.
Non mihi sunt medicæ quærendæ Pæonis artes:
Nullus Apollineâ notus ab arte labor.
Lenibit cunctos lædentes membra dolores:
Hâc ope se munit Nominis ægra salus.
Assiduo febris languescat corpus ab æstu;
Temperat hæc cunctas Nominis aura faces.
Irruat insanus curarum pectora turbo;
Turbinis euictas hoc dabit esse minas.
Mitescent ponti fremitus, Cælique ruinæ:
Hoc præceps trepidi fulminis ira cadet.
Turbo procellosos sistet vertigine cursus:
Retrahet excussas nubibus æthra faces.
Aduersos gradiar medius securus in hostes:
Nulla mihi hoc tecto tela nocere queunt.
Tartara quìd trepidem, si hæc Nomina voce ciebo?
Horrificos trepidant tartara cæca sonos.
Protrinus vt Nomen stygiæ sensere phalanges;
Præcipites celerem corripuêre fugam.

Infernos pueri terrent hoc Nomine Manes:
Irrita, si resonet, prœlia Ditis erunt.
Supplicibus votis veneratur Nomen Olympus:
Cælicolûm flexo poplite turba colit.
Astra poli nitidis gaudent formare figuris:
Fingere sideribus gaudet in axe polus.
Floribus hoc tellus expingere gaudet odoris:
Gaudet odorato terra referre sinu.
Aspice quâ Titan morientem condit Eoum,
Et micat occiduâ vesper ab axe face:
Gestiat vt tellus mœrentem gignere florem,
Qui referat passi Numinis ore notas.
Hic vbi puniceam exeruit de germine pubem,
Frondibus in patulis signa cruenta gerit.
Ambit & in patulo Nomen præferre labello,
Et sacra sanguineis signa referre notis.
Et crucis effigiem, & roranti fronde flagellum,
Cuspidis, & claui signa cruenta gerit.
Cur mea purpurei non æmula signa cruoris,
Sanguineasque notas corda referre queant?
Nempe tibi, Ignati, tam grandia dona licebit,
Et tantum penito corde referre decus.
Corpus in obiectum iussi sæuite leones:
Armeniæ impauidum dilacerate feræ:
Auratis en sculpta notis stant Nomina cordi:
Effigiem tali cuspide sculpsit Amor.
Vrere quid mirer tam crebra incendia pectus?
Nomina tam crebras sculpta dedere faces.
Stent humeris infixa licèt sæua ora leonum;
Dilanient quamuis pectora dente feræ:
Cordis in arcanis fixum penetralibus hærens
Vsque locuturo Nomen in ore sonat.

Te quoque Cantabriæ decus, alti ſanguinis hæres,
Ignati, tanti Nominis vret amor.
Signa priùs feruens, & Martia caſtra ſecutus,
Inclita pugnaci robore bella geris.
Suſpexere tui generoſi roboris auſa,
Gallica quæ contra ſigna tulere manus.
Arduus obſeſſâ pugnas bellator ab arce:
Dum ſtares, ſtetit hæc, teque cadente, cadit.
Sume animos: maiora dabit faſtigia caſus:
Fracta dabunt faciles crura per aſtra vias.
Arma etenim decreta polo meliora ſecutus,
In ſtygias diſces vertere bella manus.

FINIS.

INDEX

INDEX ARGVMENTORVM LIBRI I.

Cæ-

INDEX ARGVMENTORVM LIBRI II.

In

GRA-

GRAVIORES TYPOGRAPHI ERRORES.

PAg. 1. lin. 18. *fastgia* corr. *fastigia* pag. 4. l. 21. *nostri* corrige *nostris*. p. 5. lin. 28. *E qua* corr. *Et qua*. p. 7. lin. 23. *potriuere* corr. *protriuere*. p. 10. l. 12. *impleuisse* corr. *implesse*. p. 18. lin. 23. *habet* corr. *hebet*. p. 20. lin. 8. *iactata* corr. *iactura*. p. 45. lin. 7. *placidum* corr. *placidus*. p. 54. lin. 12. *pare* corr. *par*. p. 65. lin. 17. *qiud* corr. *quid* p. 66. lin. 5 *celsas* corr. *celsos*. p. 73. lin. 25. *feraci* corr. *ferali*. p. 77. lin. 2. *doctis* corr. *dictis*. p. 82. lin. 27. *exsultat* corr. *exsulat*. p. 86. lin. 29. *mandentisque* corr. *mandentesque*. p. 91. lin. 21. *vin* corr. *vis*. p. 97. lin. 9. *perfert* corr. *perferet*. p. 100. lin. 16. *his* corr. *hic*. p. 110. lin. 10. *detineant* corr. *detineat*. p. 112. lin 23. *admissa* corr. *admisso*. p. 115. lin. 13. *atatum* corr. *fatum*. p. 120. lin. 7. *Poesis* corr. *Poesi*. p. ead. lin. 21. *nitet* corr. *nigret*. p. 123. lin. 7. *Mauor* corr. *Mauors*. p. ead. lin. 18. *bos* corr. *hos*. p. 126. lin. 10. *iacet;* corr. *iacet?* p. ead. lin. ead. *quòd* corr. *quot*. p. ead. lin. 11. *quòd* corr. *quot*. p. ead. l. 13. *sidi* corr. *tibi*. p. 133. lin. 14. *aquè* corr. *atque* p. 182. lin. 4. *aterna?* corr. *aterna*. p. 185. lin. 29. *Hoc* corr. *Hic*. p. ead. lin. ead. *tetrum* corr. *senem*. p. 188. lin. 12. *Traidos* corr. *Taidos*: p. ead. lin. 31 *illabitur* corr. *labitur &*. p. 197. lin. 9. *trabuntur* corr. *trahuntur*. p. 200. lin. 6. *bonos* corr. *honos*. p. 205. lin. 25. *damnatur* corr. *damnantur*. p. 220. lin. 25. *gign.* corr. *gignat*. p. 221. lin. 5. *peonias* corr. *paonias*. p. 229. l. 8. *Atque balitus* corr. *Halitus &* p. 244. lin. 17. *mdicus* corr. *Medicus*. p. 282. lin. 15. *madidi* corr. *madidos*. p. 315. lin. 10. *pudori* corr. *pudor*. p. ead. lin. 21. *pudort* corr. *pudori*. p. 316. lin. 14. *illetebris* corr. *illecebris*. p. 325. *meliores* corr. *meliùs*. *ibid. vsus*: corr. *vsus* ead. lin. 2. *pocula*; corr. *pocula*